8
9 B
38

I

CONCILIVM

PROVINCIALE CAMERACENSE IN OPPIDO MONTIS HANNONIAE HABITVM ANNO DOMINI M. D. LXXXVI.

ræſidentibus Ill.mis & R.mis in Chriſto Patribus & Dominis IO. FRANCISCO BONHOMIO Epiſcopo & Comite Vercelnſi nuncióque apoſtolico cum poteſtate Legati de latere, ac VDOVICO DE BERLAYMONT Archiepiſcopo & ice Cameracenſi, Sacri Rom. Imp. Principe &c.

Adiunctæ ſunt aliquot conſtitutiones Pontificiæ, & edictum Regium de huius concilij decretis obſeruandis.

Additum eſt etiam Concilium prouinciale primum Cameracenſe, quòd in hoc illius frequens fiat mentio.

8-9-B-38



MONTIBVS HANNONIAE,
udebat Carolus Michael Typographus Iuratus.

M. D. LXXXVII.

CVM PRIV[illegible] REGIAE MA.tis

8 - 9. B. 38

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR lettres patentes de ſa Majeſté, eſt permis à l'Archeueſque de Cambray, faire imprimer les Decretz de ſa Synode Prouinciale tenue en la ville de Mons, au mois d'Octobre quatre-vingt & ſix, auec le Placcart de ſadicte Majeſté ſur iceux deſpeché, par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, & les faire vendre & diſtribuer là & ainſi que bon luy ſemblera. Eſt auſſy interdict & deffendu à tous autres Imprimeurs de ne contrefaire, ou imprimer, vendre, ny diſtribuer leſdictz Decretz & Placcart durant le temps & terme de ſix ans prochainement venantz, à paine de confiſcation de toutes telles impreſsions, & correction arbitraire, comme plus amplement eſt contenu eſdictes lettres de ſa Majeſté données à Bruxelles le iiij.e iour du mois d'Aouſt. 1587.

Signées

d'Enghien.

LVDOVICVS DE BERLAYMONT,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS ET DVX CAMERACENSIS,

Sacri Rom. Imp. Princeps &c. Vniuerſo clero & populo ſuæ prouinciæ ſalutem.

QVÆ SVPERIORE ANNO IN CONcilio noſtro prouinciali vnà cum bonæ me. Ill.mo & R.mo Domino Epiſcopo Vercellenſi Nuncio apoſtolico, R.mis coëpiſcopis noſtris, cæteriſq́; patribus legitimè congregatis, ad maiorem Dei gloriam, communemq́; veſtram omnium ſalutem decreta edidimus; ea ne in lucem venirent citius ex eo accidit, quòd pro fœliciore eorundem executione Regiam maieſtatem Catholicam multis de cauſis implorandam duximus; quæ dum maturo ſenatorum ſuorum conſilio modum expendit, qua minore negocio & maiore cum fructu per totam prouinciam hæc executio decernatur, ſuperuenientibus interim vndequaque grauiſſimis alijs rei bellicæ negotijs tempus elapſum eſt, ſed vt ſperamus non ſine fructu. Cum enim dicta ſua maieſtas pro ſua in Deum pietate, in catholicam religionem zelo, ac eccleſiaſticum ſtatum ſtudio publico edicto ea, pro quibus maximè Regia ipſius auctoritas neceſſaria viſa fuerat, à vobis omnibus iuxta mentem patrum dicti Concilij inuiolabiliter obſeruari cauerit; confidimus Deo bene iuuante futurum, vt, dum concordes inter ſe, in vos autem communemq́; veſtram ſalutem propenſiſſimas intelligetis ſuperiorum veſtrorum tam ſpiritualium quàm temporalium voluntates, coniunctis etiam animis in hoc vnum incumbatis, vt pijſſimis eorum deſiderijs & conceptæ de vobis expectationi modis omnibus reſpondeatis. Sic fiet ſanè vt nemo imposterum quod hactenus, proh dolor, ſæpius contigit, iuſtè conqueri poſſit, aut in vanum aut exiguo fructu edi toties, & tot ſanctiſſima & vtiliſſima decreta; cùm per vniuerſam, prouinciam noſtrã, quod ſummopere optamus, quiuis facile percipiet catholicam fidem ſtabilitam, diſciplinam eccleſiaſticam reſtitutam & ab ipſo populo morũ mutationem factam in melius. Fiet quoque vt Deus opt. max.

quam iuſtiſſimè concepit, & iam tot annis aduerſum nos exercuit iram ſuam remittat, totieſq́ optatam pacem in diebus noſtris largiatur. Fiet denique vt reliquæ prouinciæ, quæ veſtra erit & noſtra gloria, ad puriorem Dei cultũ & rerum diuinarum ſtudium, necnon ad omnem virtutis æmulationem veſtro exemplo incitentur. Accipite igitur ſeu potius magno & alacri animo arripite prædicta decreta, ſicq́ ad eorum præſcriptum & normam veſtros mores ſtudiaque veſtra componatis, vt pœnis in eiſdem contẽtis nullus relinquatur locus, magiſq́ veſtra in obſeruandis promptitudo, quam noſtra in condendis legibus diligentia commendetur. Datũ in oppido Montis Hannoniæ Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo Calendis Octobris.

ORA-

ORATIO HABITA AB ILL.MO ET R.MO DOMINO ARCHIEPISCOPO IN INGRESSV CONCILII.

SI graue ac moleſtum eſt patri familias domeſticæ rei priuatis inteſtiniſq; diſsidijs turbatæ, qua vellet prudentia nõ poſſe mederi; grauius certè ac moleſtius mihi fuit Illme. ac R.me Dñe, Patres ampliſsimi eorum annorum præteritorũ ſpacio, quo Dei omnipotẽtis authoritate, cura huius Chriſtianæ familiæ mihi commiſſa eſt, & veſtrum omnium conſilijs prudentiſsimis, & mea qua debebam opera & officio plenius huic opitulari non potuiſſe. Nam vel ſceleratiſsimorum quorundam hominũ paſsim graſſantium, itinerumq; aditus occupantium latrocinijs, vel ſeditioſorum & peruerſiſsimorum hæreticorum, penes quos tum temporis erat ſumma rerum, per omnes fere ciuitates & oppida dominantium diabolica calliditate ita impediti fuimus, vt libera de rebus noſtris cõmunicãdi omnino facultas non fuerit. Nunc vero cùm ſedatiore tanquã aura in ſecuro portu appulſo, veſtrum omniũ aſpectu iucundiſsimo recreari hodierna die mihi conceſſum ſit, nõ modò dolorem hunc eſſe leniendum ſed & de tanta Dei omnipotentis clementia & beneficio applaudendum mihi ipſi & Chriſtianæ, hac in noſtra prouincia, reipublicæ gratulandũ eſſe video: & eò maximè, quòd non armatorum, non tumultuantium ſeditioſorumq; hominum nunc iſte ſit Conuentus, ſed veſtrũ omnium, quorum in deliberando modeſtia, in iudicando doctrina, in ſtatuendo prudentia ſumma eſt: ex quo fit vt quæ cauſa quęue conſilij mei ratio fuerit, vt vos hoc loco in vnũ cogendos eſſe cenſerem, lætior aperiam. Illa eſt Patres ampliſsimi, quòd ſtatus mei Archiepiſcopalis conditio-

ne recogitata , ſumma illa Dei omnipotentis erga me quamuis meritum benignitas, animum ſubierit, qua factum eſt, vt, ne a agnoſcendo munere ingratus, aut in officio pręſtando negligen derer, me quam primũ licuit ad Eccleſiæ reformandam œconomi & ad antiquam diſciplinam priſtino ſtatui hac in prouincia reſtitu- dam conuerterim. Verum cùm rem hoc funeſtiſsimo tempore diffi lem & penè viribus meis imparem ſenſi, ſecutus conſiliũ Ietro, vos partem conſilij & ſollicitudinis meæ vocádos eſſe exiſtimaui. Adeſ ergo animis Patres ampliſsimi & cõiunctis mecum veſtris ad Deum omnipotentem precibus in ſpiritu ſancto & omni charitate deficient & hęreticorum veluti ariete crebro labátem hanc noſtram Eccleſiam veſtris non modò conſilijs reficite, ſed & humeris quoq; veſtris & authoritate fulcite. Adeſte animis vos omnes, vt vno ore alloquar, commiſsi mihi filij, & quæ de veſtris & noſtrûm omnium moribus & eccleſiaſticis neceſsitatibus ſtatuta fuerint, qua vos decet obedientia, reuerentia, benignitate Domino adiuuante ſuſcipite; quæ emendatione digna erunt, piè & fideliter corrigere ſtudete; & ſi, quod Deus auertat, cuiquam veſtrûm quod hoc loco aut agetur aut proferetur diſpliceat, humaniter, quæ ſibi in cõtrarium dicenda videbuntur, palam explicet. Sic fiet vt pulſo procul hinc humani generis hoſte inceptũ hoc ſacroſanctum & diuinũ opus iuſtitiæ finibus terminetur. Atque ita totius huius conuocationis ſcopum fuiſſe cognoſcetis, vt mecum pro reformanda Eccleſia noſtra conſideretis ſollicitè, quæ deeſſe & deficere noſtris & eius rebus videantur: quin etiam quæ impedire poſsint fructus & effectus noſtrarum conſtitutionum; & quibus pręcipuè remedijs ac medicamentis languentes tantopere huius prouinciæ Eccleſias ſubleuare, ſanare & in priſtinam ſtatus ſui valetudinem reſtaurare, Deo cooperáte, poſsimus, iudicetis. Solent dato claſsico duces exercituum poſt pręlia, quis exitus eorum ſit, ſimul etiam ſuperſtitem militũ numerum recognoſcere; quod poſt tot tam noſtra quàm aliorum vndique pręlia commiſſa cum hęreticis, & clades, iure optimo mihi faciendum foret: ſed horret animus luctuq; refugit. Sat enim nõ modò pręteritorum, ſed horum temporum calamitas, qua hæreticorũ & tumultuantium vulnere ſaucia Dei ſancta Eccleſia iacet, perſpecta eſt. Sat exercitus noſter ſpiritualis, ſat non militum modò, ſed præcipuorum ſuorum ducum, Epiſcoporum ſcilicet ac prælatorum, paſtorum etiam tanquam centurionum, ſigniferorum, & vt vno nomine dicam fortiũ bellatorum in caſtris Domini Sabaoth nota ruina: vt mihi cum Mathatia iure optimo dicendum ſit; Vę mihi, vt quid natus ſum videre

contri-

contritionem populi mei, & contritionem ſanctæ ciuitatis, & ſedere illic cum datur in manibus inimicorum, ſancta in manu extraneorum facta ſunt, templũ eius ſicut homo ignobilis, vaſa gloriæ eius captiua abducta ſunt, trucidati ſunt ſenes eius in plateis, & iuuenes eius ceciderunt in gladio inimicorum. Quę gens nõ hęreditauit regnum eius, & non obtinuit ſpolia eius, omnis compoſitio eius ablata eſt, quæ erat libera, facta eſt ancilla, & ecce ſancta noſtra, & pulchritudo noſtra & claritas noſtra deſolata eſt, & coinquinauerunt eam gentes. Hęc enim triſtis & mœſta miſeriarũ Iudaicæ gentis & Synagogæ commemoratio, quęnam alia eſt, quàm totius eccleſiæ Belgicæ & miniſtrorum eius ac populi mihi commiſſi deſolatio? Nam quæ ciuitas, quis pagus mutua & inteſtina ciuium ſuorũ diſcordia fere non perijt? Quæ templa Domini inſolenti hęriticorum aggreſſu vel contaminata vel funditus penè euerſa non fuere? Quotus-quiſq; tandem vel Epiſcopus vel Pręlatus, quò maiori zelo Domus Dei pro officij ſui debito munere ardebat, eò inſtantius, eò amatius non modò calumniam paſſus, ſed deſpectus & contemptus à proprijs etiam ouibus non eſt? qui fuere alij inferioris gradus paſtores, qui idem nõ paſſi, &, quòd deterius eſt, ſępe afflicti, ſępe dilacerati, ſępe carcerum fœtore & inedia cõfecti, multi laqueo extincti, multi aquis ſubmerſi, pro cuiuſque priuati lubito & nefaria atrocitate tanquam ſceleratiſsimi latrones ſublati fuere? Quid dicam de alijs ad quos hæreticorum & facinoroſorum populorum crudelitas nondum peruaſerat, & qui ſe pro Dominici gregis reliquijs ſaluandis & conſolandis ſeruauerant? In tam diutina tamen profligationis calamitate, hos magna ex parte vel morbus abſumpſit, vel quòd eſſent ætate & longęua laborum grauitate confecti, vt veterani de iſto noſtro conflictu & ſęculo in debitam quietem deceſſerunt ſic, vt videre ſit, tot commilitonum noſtrorum millibus vel exilio, vt diximus, eiectis, vel morte partim violenta, partim naturali ſublatis caſtra Domini Sabaoth diminuta & deſolata eſſe. Quo factũ eſt vt puſillus & precioſus grex Chriſti hiſce ſuis cuſtodibus ſubmotis diſcerptus, non aliter quam à lupis lacer languenſq; remaneret. Sed quòd magis deplorandum, huic etiam calamitati, acceſsit, quòd exierunt, vt tempore Machabeorum ex Iſraël filij iniqui, qui ſuaſerunt multis dicentes, eamus & diſponamus teſtamentum cum gentibus, quia ex quo receſsimus ab eis inuenerunt nos mala multa. De his, Patres ampliſsimi, loquor qui olìm fidi canes & ouium Chriſti defenſores, nunc perfidi, naturam luporum induti rapaciſsimi facti ſunt & transfugæ & preduelliones in fidei noſtræ Catholicæ hoſtiũ numerum

rum & ſocietatem aſcribi perpetuò ſe paſsi ſunt, quorum tanta fuit væſania & rabies, vt qui antea paſtores gregis ſui & obſeruatores vigilantiſsimi, peruerſorum morum reformatores duriſsimi, caſtitatis & continentiæ ſtudioſiſsimi, verbi Dei annunciatores pijſsimi, nunc mactandi gregis auidiſsimi, deprauatæ ac damnandæ libertatis fautores obſtinatiſsimi, deniq; cum corporum tum animarum ſceleratiſsimi prædatores exiſtunt. Quos nominatim recenſere vel cõmemorare neceſſe non eſt, quòd his tota Holandia, tota Zelandia tota Anglia, multaq; Germaniæ ac aliarum nationum pars ſcateat: quorum ſermo viſus eſt bonus in oculis multorum, tum quòd natura procliuis eſt à labore ad libidinem, tum quòd quidquid ab his vel dictum vel geſtũ eſſet, ſanctum & indubitatum eſſe ſibi perſuaſiſſent. Nam hi nihil ex ore effutire ſoliti ſunt, quin veluti ſacræ ſcripturæ quamuis conciſis & obtortis teſtimonijs roboratum & munitum eſſe videretur. Quorũ authoritate falſaque doctrina, & exemplo allecti tanquam abyſſo abyſſum inuocante pedetentim, quòd aut ſimpliciores exiſterent aut quòd mala mens & malus animus in ijs eſſet, in omne vitiorum & malorum genus ruere cęperunt. Hinc multi libenter apertèq; profeſsi ſuos errores, hinc cupidè carnis libertatem amplexi ſunt, quos poſtea deſerere & caſtiorem vitæ modum ſequi, quod ijs vel difficile vel impoſsibile videretur negatũ fuit, & ſic membra Chriſti membra facta ſunt meretricis. Ita enim pleræq;, quæ multo antea ſanctimoniales caſtiſsimæ erant, violatis & profanatis clauſtris, diſsipatis innocentiæ inſtitutis ſine rectore, ſine duce, ſine iugo, ſine lege, incertis ſedibus errantes, ſanctum illum & immaculatum vitæ priſtinæ modum mutauêre, quibus multis ne leuiori peccati vinculo detineri viderentur, cum per ſe omne peccatum ſit graue & perplexum, ad iſtas pedicas & compedes, ne cito & facile poſſent ad Eccleſiæ ſanctam & certam libertatem & immunitatem redire, additum eſt pondus, prætextus nimirum matrimonij, ſponſaliorum quaſi fœdera humanæ voluptatis vela, & ſimillimus coniugatorum conuictus, longæq; conſuetudinis nexu incæſti amoris collecta neceſsitudo, tandemq;, quod caput malorum eſt, prolis amor & mutua propaginis cura & educatio, vt lege, velut ſollicitorum parentum abſtracti, non debeant amplius curare quæ Domini ſunt ſed quomodo placeant viro & debeant ſolum eſſe ſollicitæ, quid filij comedant aut in poſterum quid patrimonij ex Chriſti prouentu poſsideant. Hæc ego patres ampliſsimi, & ſi mæroris & triſtitiæ plena, proponēda tamen hodierna die eſſe putaui: nõ renouandi veſtri doloris cauſa, ſed vt quæ deficere noſtris & Eccleſiæ

rebus

s videantur, apertè cognoſcatis. Quę cum multa & grauia ſint, nõ
en ideò à vobis & nobis deſerenda eſt militia, ſed Ionatæ & Si-
monis exemplo, facto nouo quaſi delectu, prouidendum à nobis, non
ſolum vt numerus, ſed vt virtus multò magis fratrum noſtrorum re-
ſtauretur. Sic Abraham pater fidelium audita captiuitate Loth, fortem
& copioſum quinq; regum exercitum cum trecentis decem & octo
vernaculis aggredi & ſuperare non dubitauit. Itidem & Gedeon tre-
centis ſolum ſtipatus viris ſe dans certamini de Medianitis triumpha-
uit. Quæ ſingula, ne nunc quidem nobis eſſe deſperandũ ſatis ſuperq;
nos admonent. Nam etſi ab hęreticis copioſis, impijs, impuris, coniu-
ratis & potentia ſuperbis Eccleſiæ Romanæ hoſtibus premamur, fu-
ſis nihilominus ad Deum omnipotentem aſsiduis & importunis pre-
cibus, eos nos facile vincere poſſe certò nobis polliceamur. O paſsi
grauiora dabit Deus his quoq; finẽ. Nam etſi dormiente & diſsimu-
lante olim Domino nauicula Petri periclitata eſt, & fluctuauit; ora-
tione tamen ad ſe clamantium, Domine ſalua nos perimus, incolumis
euaſit. Sub herode magno Iudeorum applauſu diris afflicta eſt tor-
mentis Eccleſia; Stephanus lapidatus interijt; Iacobus frater Ioannis
gladio decollatus occubuit; Petrus apoſtolorum princeps tenebroſis
mancipatus carceribus, pedes manuſq; cathenis conſtrictus, quatuor
quaternionibus militũ cautiſsime cuſtodiendus datus, ac poſt paſcha
internecioni deſtinatus eſt: oratione interim ab eccleſia ſine intermiſ-
ſione facta, angelorum miniſterio ſolutus euaſit. Et Paulus infeſtus
perſecutor, ouium Dominici gregis lupus rapax, oratione Stephani
& prędicator maximus & Petri ſocius extitit. Quid dicam de Nero-
nis, Domitiani, Diocletiani temporibus, quorum acerbitate & perſe-
cutione vix coãlitus eccleſiæ conceptus & tanquam abortiuus ad in-
ternecionẽ vſq; opprimi videbatur, & ita vt vniuerſum orbis Impe-
rium, quantis vbiq; polleret viribus, aduerſus Dominum & Chriſtũ
eius coniuraſſe videretur. Sed Dominus qui ſuis hanc confidentiam
dederat, Confidite puſille grex, ego vici mundum, tanquam palma,
quò plus calcatur eò fortius & fœcundius erigitur, & numerũ & vir-
tutem ſuorum fouit, auxit, erexit; adeoq; tandem Cõſtantinum tanti
Imperij tantũ Imperatorem adhuc alioqui perſequentem, crucis ſigno
ad ſua caſtra traduxit, nec Eccleſiæ tantum alumnum, ſed & protecto-
rem Chriſtianorum, Patronum clericorum, obſeruatorem Epiſcopo-
rum effecit. Quin, nec longo poſt interuallo quietis & pacis Chriſtia-
næ inuidus Satanas, triticum cribrare & Patris familias aream turbare
expetens non ceſſauit quin nouos & inteſtinos ac domeſticos eccleſiæ

 hoſtes

hoſtes ſuſcitaret. Quorũ de numero præcipuus ac prope primus [illegible]pit Arrius ille impius & hæreticorũ coryphæus, qui trecentorum an[no]rum ſpatio zizania in agro Domini duratura conſeuit, & præſtanti[ſſi]mos quoſq; non Imperatores tantum & aulæ principes, ſed epiſcopos etiam numero & doctrina admirandos infecit, miris & miſerãdis modis eccleſiam circumueniens. Sed cùm non ſit ſapientia, non ſit prudentia, non ſit conſilium aduerſus Dominum, idem ipſe, cuius infinitus miſericordiarũ eſt numerus, operis manuum ſuarum memor, tandem ſuperbum & vana ſcientia inflatum monſtrum egeſtioni extorũ ſuorum, non ſine ſummo ſuorũ dedecore & rubore extinxit. Neque minorem vltionem pro ſacrilega Eccleſiæ direptione & temeraria in chriſtianos perſecutione Iulianus Apoſtata ſenſit, qui ad intima vſque viſcera, vnde tantum odium conceperat, conto confoſſus interiit. Omitto, ne prolixior ſim Arrij progeniem & mali ſeminis nepotes Manicheos, Neſtorianos, Pelagianos, Donatiſtas, Circoncelliones. horum enim nullum extat veſtigium, niſi aliquot peruicacium mahometiſtarũ, qui ad eccleſiæ gremium redire noluerunt, quos nos Chriſtiani tamquam iam olim reſecta membra contemnimus. Confidite ergo Patres ampliſsimi, & Chriſti noſtri promiſsis certam nõ minus, quàm indubitatam adhibete fidem, hanc ſuam ſuper firma Petra fundatam Eccleſiam nunquam interituram nec inferorum portas aduerſus eam preualituras, neq; vos moueant horum temporum tempeſtates, eáſq; non ad noſtrum interitum ſed exercitium à Domino nobis exiberi cogitate. Nam vt olim maiores noſtros ſua benignitate ita & nos ineffabili miſericordia à tribulationibus noſtris eruet. Orandus tamen, & vitiorum noſtrorum in melius correctione & vitæ mutatione erit expiandus; nemini vt demus vllam offenſionem, ne miniſterium noſtrum vituperetur, ſed ſatagentes, vt per bona opera noſtram certam vocationẽ & electionẽ faciamus, qua in re, quę noſtrũ omniũ partes ſint, quiue modus in rebus agendis obſeruãdus, veſtris ſententijs omniũ decerni, quàm mei ſolius opinione iudicari malim. Obſecro itaq; & obteſtor vos Reuerendiſsimè & Ill.me Dñe Patres ampliſsimi, omneſq; mihi commiſsi filij, vt quæ emendatione in noſtris omnium moribus digna videbuntur, inter nos etiam cum omni charitate palam recitentur, quatenus quę hic ſtatuta vel decreta de nouo fuerint tanquam ſpiritus ſancti dictata flamine, ad Dei omnipotentis gloriam obſeruentur, quod nobis ipſe concedat, qui viuit & regnat in ſęcula ſęculorum, Amen.

DECRE-

VI

Errata ſic corrigito.

Pagina 11.lin 5.pro purgatione,lege publicatione.eadem pag.cap. 4. poſt illa verba indumentis ſacris,adde verbum,vti.pag.18.lig 1.pro controuerſas,lege controuerſias.pag.46.cap.3.lin.3.ſi quis,lege ſi quid.pag. 50.lin.4. dele,ſcienter. pag.51.lin.1.ſuper quæ,lege ſuper qua. pag.52. lin.1.maior iſto,lege maior 150.ideſt centum quinquaginta.pag.53.lin. 8.maieſtate,lege maieſtati.pag.57.lin.4.reuocari,lege renouari.pag.60. cap. 4.lin.2. hoſpitalites,lege hoſpitalitas, & ibidem lin.4. ſubſido,lege ſubſidio.pag.62. cap,2.lin. 3.cum iudicibus, lege coram iudicibus. pag. 91.lin.3.prouincæ,lege prouinciæ pag.97.c.5.lin.4.iudicium, lege iudicum.

DECRETA

SYNODI PROVINCIALIS CAMERACENSIS HABITÆ IN OPPIDO MONTIS HANNONIAE ANNO DOMINI M.D.LXXXVI.

Præſidentibus Illuſt.mis & Reuer.mis in Chriſto Patribus & Dominis Io. Franciſco Bonhomio Epiſcopo & Comite Vercellenſi nuncióque apoſtolico cum poteſtate Legati de Latere, ac Ludouico de Berlaymont Archiepiſcopo & Duce Cameracenſi, Sacri Rom. Imp. Principe &c.

TIT. I.

DE FIDEI PROFESSIONE, ET DE *his quæ ad eiuſdem fidei integritatem tuendam & conſeruandam pertinent.*

CAPVT PRIMVM.

CVM fides ſit verum Symbolum, quo Catholici ab alijs diſtingũtur, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ſacra *ad Heb. 11.* Synodus prouincialis Cameracenſis, in ſpiritu-ſancto legitime

gitime congregata, ab ea principium ducens, In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filij, & eiuſdem Spiritus-ſancti ſtatuit ac decernit, vt iuxta formulam à Pio quarto præſcriptam fidei profeſsionem faciant omnes Profeſſores, Concionatores, Confeſſarij, Ludimagiſtri; ac præterea Typographi, Bibliopolæ, & qui libros quomodolibet diſtrahunt tam viri quàm mulieres. Item quicũque ſemel in hæreſim lapſi, ad Eccleſiæ gremium redeunt, & qui ex vno loco in alium trãſmigrant, nec adferunt ſufficiens teſtimonium ſuæ fidei, & conuerſationis à Paſtore loci ſuæ vltimæ reſidentiæ, antequam ad ſacram communionem admittantur, necnon quicunque ad ſacros ordines promouebuntur, idque in manibus Ordinariorum cuiuſque loci, vel ab eis deputãdorum, qui huiuſmodi profeſsionis atteſtationem ad eoſdem Ordinarios tranſmittant.

Bulla habetur poſt finem locum decretorum.

CAP. II.

SVPPLICETVR Regiæ Majeſtati, vt idem mandare velit de ijs, qui ad gerendos magiſtratus aut alia officia publica tam in vrbibus quàm in pagis aſſumuntur, nempe vt in ipſorum admiſsione dictã fidei profeſsionem facere teneantur, nec admittantur, niſi præhabito Paſtorum

Vide edictum Regium ar. 1. 2. & 3.

ſuorum,

ſuorum, de anteactæ vitæ Catholicæ conuerſatione teſtimonio, quod ipſi Paſtores dent gratis, & ſi prece aut pretio inductos teſtimonium huiuſmodi contra veritatem dediſſe compertum fuerit, ordinariorũ arbitrio grauiter puniantur.

CAP. III.

NVLLI præterquam Typographis, Bibliopolis, & Librarijs iuratis vllos libros typis committere, inferre, aut venales exponere liceat, ſub pœnis Cõcilij Tridentini, & primi prouincialis Cameracenſis, alijſque arbitrarijs. Qui etiam in ſua admiſſione præter ſupradictam fidei profeſſionem iuramentum præſtent de non inuehendis libris prohibitis, nec ſecretò diſtribuendis, & de hoc agatur cum magiſtratibus. Nulli verò libri imprimantur, quacunque de materia tractent, niſi expreſſam habeant approbationem Epiſcoporum, aut ab eis deputatorum, vel alicuius Cenſoris in Vniuerſitate Louanienſi aut Duacenſi.

Seſſ.4. tit. de libris hæret. cap.1.

CAP. IIII.

NON permittantur cuiuis de populo libri ſacræ ſcripturæ lingua vernacula, cõtra quartam regulam Indicis librorum prohibitorum, niſi de licentia Epiſcoporũ, aut deputatorum ab eis.

CAP. V.

VT Concilij Tridentini Decreto de Inuocatione, Veneratione, Reliquijs ſanctorum, & ſacris imaginibus ſeſſ. 25. ſatisfiat, nullæ inſolitæ imagines in Eccleſijs ponantur, aut ex quarum inſpectione aliquod offendiculū generari poſſit, vel quæ veritati ſacrarum ſcripturarum traditionum aut hiſtoriarum non reſpondeant, neque etiam in priuatis domibus habeantur, & multò minus in publicis proceſsionibus exponantur picturæ, quæ referant hæreticorum ludibria. Imagines quoque quibuſdam in locis per Eccleſias ab hæreticis mutilatæ quamprimum reparentur, & horum omnium in viſitationibus diligens ratio habeatur.

CAP. VI.

QVOAD ſanctorum Reliquias, ſicubi bellorum iniuria direpta aut deperdita fuerunt vaſa argentea, reſtaurentur aut alioquin decētes capſulæ fiant, quæ vt minimum pannis ſericis ornentur. Et vt maiori in veneratione ſint apud populum eædem ſanctorum Reliquiæ, appendantur tabellæ in ſingulis Eccleſijs, quibus declaretur, quæ in vnaquaque Reliquiæ iudicio Epiſcopi approbatæ aſſeruentur. Et Paſtores ac

Con-

Concionatores verbi Dei ſubinde refricent memoriam ſanctorum, quorũ Reliquiæ in ijs templis habentur & coluntur; cumque populo pietatis cauſa ſolemniter oſtenduntur, luminaria aliqua accendantur; ne temere tamen omnium oculis exponantur, nec ex loculis ſeu capſulis per alium quàm Epiſcopum, aut ab eodem poteſtatem in ſcriptis habentem, educantur.

CAP. VII.

SIGNA vel imagines, annuliúe, orationes ſcriptæ, vel, vt vocant, breuia characteribus, aut nominibus incognitis impreſſa, ne ad alicuius morbi hominis, iumentiúe curationem adhibeantur, ne etiam ligaturæ matrimonij actum impedientes, aliaúe veneficia, vel faſcinationes ſuperſtitioſa obſeruatione fiant, aut diſſoluãtur, nec vulnera aut plagæ vllæ ſuperſtitioſo adhibito ſignorum, verborum aut precũ numero, linteolis, vel alia, quæ à medicis comprobata non ſit, ratione curẽtur. Denique quicunque huiuſmodi vel alijs ſuperſtitionibus, dæmonum inuocationibus, implicitis vel explicitis pactis cum ijſdem vſi fuerint, quiúe artem Aſtrologicam iudiciariam à ſanctiſsimo Domino noſtro Sixto quinto ſpeciali conſtitutione damnatam exercuerint, excommunicationem incurrant, &

c. illud 26. q. 2.

Habetur ad finem borum decretorum.

per Paſtores in ſuis cõcionibus publicè excommunicati denuncientur, & alijs pœnis à iure impoſitis ſubiaceant.

CAP. VIII.

INHÆRENDO conſtitutioni fælicis recordationis Leonis Decimi contra blaſphemos editæ in Concilio generali Lateranenſi ſeſſ. 9. à Pio quinto innouatæ, pœnas in ipſa cõtentas exactè obſeruari mandat hæc Synodus, præcipitque Paſtoribus vt ſæpe in ſuis concionibus declarẽt ſuis parochianis grauitatem huius delicti, eoſdemque hortentur ad ſupplicandum Epiſcopis pro erectione Sodalitatũ nominis Dei, ad eundem finem, iuxta conſtitutionem fœlicis record. Gregorij 13. his decretis annexam.

TIT. II.

DE DOCTRINA ET PRÆDICATIONE VERBI DEI.

CAPVT PRIMVM.

Seſſ. 5. c. 2. refor. & Seſſ. 24. c. 4.

QVICVNQVE prædicandi aut docendi ſacram ſcripturam munere fungentur (quod iuxta Tridentini Concilij decreta nullis etiam regularibus in Eccleſijs nõ ſuorum ordi-

ordinum abſque Epiſcopi licentia facere licet) eam interpretentur eo ſenſu, quem Catholica & ſanctorum patrum cõſentiens authoritas comprobarit; ne hiſtorias ex apocriphis ſcriptoribus populo narrent, neúe paſsim hæreticorum opiniones & argumenta apud imperitam multitudinem referant. Quod ſi quandoque neceſsitas poſtulabit, vt eorum falſa dogmata cõfutentur, id non longa diſputatione, ſed graui & ſolida redargutione faciant, ne oſtentandæ doctrinæ aut eloquẽtiæ cauſa difficiles atque inanes quęſtiones moueant, vnde ſuiipſius potius quàm Ieſu-Chriſti Prædicatores eſſe videantur; ſed præcipuè in articulis fidei, oratione Dominica, & ſalutatione Angelica, decem præceptis Decalogi, & quinque pręceptis Eccleſiæ, necnon ſeptem ſacramentis, ac euangelijs & epiſtolis diei breuiter & dilucidè explicandis verſentur.

Cõc. Trid. Seſſ. 4. dec. de ed. & vſu ſacror. libror. verſ. prætereà.

1. ad Corinth. 20.

Cõc. Trid. Seſſ. 24. c. 7. in fine.

CAP. II.

VITIA quoque reprædendant, ſed ita vt peccatorum non hominum odio id eos facere omnes intelligant, ac proinde nominatim neminem arguant, ne etiam in alios Prædicatores eiuſdem aut alterius ordinis inuehantur, aut eos reprehendant.

CAP. III.

INDVLGENTIAS nouas populo ne annuncient ſine decreto Epiſcopi; ſimiliter neminem extraneum paupertatis nomine ex ſuggeſtu cõmendent, niſi teſtimonium ſcripto ab Ordinario attulerit.

CAP. IIII.

1. ad Corinth. 9. POTISSIMVM autem hoc prouideant, vt quod verbo ædificant id vita & moribus non deſtruant, ne cum alijs prædicauerint, ipſi reprobi efficiantur.

CAP. V.

QVI in ſupradictis peccauerint, etiam regulares & exempti, non obſtante ipſorum exemptione, iuxta decretum Concilij Tridentini ab Epiſcopis puniantur. *Seſſ. 5. ca. 2*

CAP. VI.

DECANI Chriſtianitatis referant Epiſcopis aut eorum vicarijs, ſi quos deprehenderint Paſtores, vel ob imperitiam, vel ob negligentiam à prædicatione verbi Dei abſtinentes, & longè magis, ſi quos nouerint, qui ſuis prædicationibus magis deſtruant quàm ædificent.

CAP.

CAP. VII.

Dvm habetur concio, in ea Eccleſia nec ſolennes, nec priuatæ miſſæ celebrentur; ſed nec per ipſam Eccleſiam quiſquam pauper permittatur mendicare, nec horæ canonicæ decantentur, nec cantores, vicarij, aut canonici eas incipere audeant ante concionem finitam. Quod ſi Concionator prolixior æquò fuerit, modeſtè per aliquem moneatur, nō autem hoc prætextu in ſua concione turbetur.

CAP. VIII.

Clerici, Cantores, Capellani, & Canonici concionibus frequenter interſint, vt ipſorum exemplo laici ad Dei verbum frequentius audiendum incitentur.

CAP. IX.

Eadem hora qua cōcionem habebit Epiſcopus, nullibi in toto oppido alia cōcio habeatur.

CAP. X.

Denique hortatur Synodus Concionatores, ſiue paſtores ſint, ſiue alij, qui plures in eadem vrbe degunt, vt conueniant inter ſe aliquoties, déque tractandis materijs, abuſibuſque arguendis conſentiant.

TIT. III.

DE OFFICIO DIVINO.

CAPVT PRIMVM.

VBi Cathedrales Eccleſiæ Romani officij vſum ſuſceperunt, eundem reliquæ omnes totius diœceſis parochiales Eccleſiæ, vnà cum ritu & cæremonijs, tam in miſſæ celebratione, quàm reliquo diuino officio ſequantur; necnon ſimiliter omnes beneficiati in ijſdem Eccleſijs reſidentes in ſuis horis canonicis priuatim legendis obſeruẽt. Vbi verò Eccleſiæ Cathedrales ſuum antiquum vſum retinent, idem quoque per totam diœceſim, quoad dictas parochiales, earumque beneficiatos ſeruetur; deputentq́ue quamprimum Epiſcopi cum ſuis Capitulis viros aliquos in officio diuino, ac cæremonijs ad illud pertinentibus exercitatos, qui imprimis cæremonias ipſas ſcripto mandent, ac etiam dictorum veterum vſuum repurgationi, & nouæ editioni incumbant, quibus peractis non liceat dictis parochialibus, & in eiſdem beneficiatis, etiam priuatim vti alio vſu, quàm Eccleſiæ Cathedralis.

CAP. II.

QVOAD collegiatas verò quæ nondum receperunt vſum Romanum, ſuos quamprimùm vſus repurgent, repurgatoſque deputatis Epiſcoporum exhibeant approbandos & confirmandos, alioqui infra ſex menſes à purgatione vſus Cathedralis Eccleſiæ repurgati, eundem omni excuſatione poſtpoſita amplecti teneantur, & nihilominus tam Cathedrales quàm aliæ Eccleſiæ etiam regularium, quæ iam vſum Romanũ receperunt, hiſtorias ſanctorum ſuorum etiam repurgare, & ad ipſum Romanum vſum accommodare, atque approbari curare debeant.

CAP. III.

PASTORES quoque & alij prædicatores verbi Dei, in Euangelij vel epiſtolæ explicatione ſequantur vſum Cathedralis Eccleſiæ.

CAP. IIII.

OMNIA quæ ad ſanctiſsimum miſſæ ſacrificium celebrandum pertinent, munditia & puritate commẽdentur, ideóque grauiter puniantur quicunque ſacerdotes corporalibus, purificatorijs, mappis, & indumentis ſacris ſordidis, & laceris, ſiue in viſitationibus, ſiue alias reperti fuerint.

c.2.de cuſt. euchar. c. veſtimẽta. de conſec. diſt. 1.

CAP. V.

Seſſ. 22. de obſer. in celeb. ·iſſæ.

NE alibi, quàm in locis deo dicatis, & ab Epiſcopis viſitatis & deſignatis miſſæ ſacrificiũ fiat Tridentini Concilij decretis inhærẽdo omninò prohibet hæc Synodus, niſi quis forſan ſpeciale priuilegium apoſtolicum ad hoc habeat, quo etiam vti nequeat (ſiue ſecularis, ſiue regularis ſit) quin prius illud loci Ordinario, aut ab eo deputatis oſtenderit, ſub pœna ſuſpenſionis ad tres menſes.

CAP. VI.

MISSAS etiam duas in die extra caſus iure permiſſos celebrare nulli ſacerdoti liceat, niſi ad hoc expreſſam licentiam ab Epiſcopo in ſcriptis habeat (quæ non niſi ex magna neceſsitate concedatur) Qui contraueniſſe repertus erit, à diuinis ſuſpẽdatur. De cætero autem optaret Synodus ſuccurſus, quos vocãt, per ſimplicium beneficiorum vnionem, aut alia commodiori ratione Epiſcoporum induſtria, vbi fieri poterit, in parochiales Eccleſias erigi.

CAP. VII.

Con. Trid. Seſſ. 22. de obſ. & euit. in ce-

INTERDICIT verò quibuſuis ſacerdotibus, ne quicquam in officio miſſæ, maximè in canone, etiam prætextu pietatis intermiſcere, aut nouas

uas cæremonias inducere præſumant,ipſumque canonem ſecretò pronuncient, neque etiam miſſas ſiccas quocunque prætextu (quas penitus abrogat Synodus) celebrare liceat.

lebr. miſſæ verſ. poſtremone ſuperſtitioni.

CAP. VIII.

MANDAT inſuper innouando decretum ſecundum tituli de cultu,cæremonijs, & officio diuino,dicti Concilij prouincialis Cameracenſis, vt ſi quis temulẽtia, vel alio notorio crimine ſcandalum dederit, & nihilominus poſtridie celebrauerit,aut in officio Diaconatus vel ſubdiaconatus celebranti inſeruiuerit, Officiali, aut Promotori ſeuerè caſtigãdus denuncietur. Qui verò alius ſacerdos id ſciuerit, nec denunciauerit,arbitraria pœna corrigatur.

CAP IX.

NE peregrini,& ignoti ſacerdotes, ſiue ſeculares, ſiue regulares admittantur ad celebrãdum in vllis Eccleſijs,niſi oſtenſis teſtimonialibus, & commendatitijs litteris ſui Ordinarij iuxta decretum Concilij Tridentini.

Seſſ.22. de obſer. in celebr. miſſæ & Seſſ. 23. c. 17. in fine.

CAP. X.

HORAM præſcriptam ſingulis parochis per ſtatutum ipſius Concilij prouincialis ad celebrandum miſſam parochialem, nempe à feſto

Paſchæ, vſque ad feſtum Remigij circa horam octauam; à feſto verò Remigij vſque ad Paſcha circa horam nonam, vt obuietur querelis multorum, vniformiter & exactè per totam prouinciam, quacunque in contrarium allegatione non obſtante, hæc Synodus mandat obſeruari, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſis parochis contrauenientibus infligenda, niſi forte ſuperueniente Concionatore horam ſeruare nequeant.

TIT. IIII.
DE DIERVM FESTORVM CVLTV ET IEIVNIIS.

CAPVT PRIMVM.

AD tollendos abuſus, quibus in hunc vſque diem præcedentium Conciliorum decreta mederi non potuerunt, vt videlicet impedirentur deambulationes, luſus, ſpectacula ludicra, exercitia ſagittariorum, baliſtariorum, bombardariorum, gladiatorum & ſimiliũ, piſcationes, & potationes, aliaque prophana opera dominicis, & alijs feſtis diebus tempore diuini officij, maximè veſperarum

rum

ium & Concionis, decernit ſacra Synodus, vt in ſingulis Eccleſijs parochialibus ſingularum vrbium totius Prouinciæ veſperæ canãtur eadem hora, & ſemper poſt prandium extra quadrageſimam; impetreturque à Regia majeſtate aut magiſtratibus edictum publicum, quo ante finem earum prædicta prohibeantur, immò exitus è portis vrbium huiuſmodi exercitiorum cauſa, tam veſperarum quàm miſſæ parochialis & Concionis tempore omninò impediantur. *Vid. edic. Regium art. 5.*

CAP. II.

SIMILITER eidem Regiæ majeſtati ſupplicetur pro edicto cõtra aurigas, nautas, & ſimiles, ne dominicis, & alijs feſtis diebus merces vehere poſsint, vtque etiam ſubhaſtationes, quas vulgo *Recours*, aut *Paſſemens* appellant, & multò magis mercatus, auctiones publicæ, luſus publici, choreæ etiam nuptiales, & compotationes dicto tempore miſſæ & veſperarũ, ſub graui pœna prohibeantur; nundinæ etiam annuæ, & forum rerum venalium hebdomadarium, cum in diem feſtum incidunt, in alium transferantur ab Epiſcopis cum conſilio magiſtratuum neque etiam permittantur agrorum cultus, aut meſsis, molitorum, coctorum ceruiſiæ, laniorum, piſtorúmque operæ, niſi ob notabilem neceſsi- *ed. reg. art 6. 7. & 8.*

neceſsitatem,cuius cognitio ad Decanum Chriſtianitatis,vel eo abſente, aut nimis procul degente,ad paſtorem loci ſpectabit.

CAP. III.

QVI autem ſint feſti dies,quibus populus ab opere ſeruili ceſſare debeat,quæ item ieiunia obſeruare teneatur, ſtetur conſuetudini cuiuſque diœceſis, qua nō minus regulares etiam exemptos quàm ſeculares obligari Synodus declarat.

CAP. IIII.

SI feſtum Annunciationis beatæ Mariæ virginis inter dominicam Palmarum & dominicā Quaſimodo inciderit, feria ſecunda poſt dominicam Quaſimodo etiam à populo ferietur.

TIT. V.

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE.

CAPVT PRIMVM.

QVo maiore animi pietate, aç debita præparatione ſacramenta ſuſcipiuntur, eò maiorem gratiam conferunt,idcircò præter ea quæ ſacroſančta Tridētina Synodus & prima prouincialis

is Cameracenſis de ijs ſtatuerunt ad tollẽdos abuſus, quos in nonnullis locis vel culpa, vel negligẽtia hominum, aut iniuria temporum in ſacramentorum adminiſtrationem inuexit, hæc Synodus decernenda duxit quæ ſequuntur. Vbi parochialis Eccleſia magnam partem populi ſui habet extra mœnia ſeu portas vrbium, ita vt nocturno tempore eius loci incolis commodè ſacramenta adminiſtrari non poſsint quamdiu per Epiſcopos prouiſum non eſt vt dicta pars viciniori parochiæ vniatur, aut in nouam parochiam erigatur, prouideant parochi, vt nocturno tempore ibi reſideat aliquis capellanus, etiam ſumptibus eius loci parochianorũ, ſi aliunde ipſi prouideri non poſsit.

CAP. II.

IIs in locis vbi certi parochiani certam parochiam non habent, ſed pro ſuo arbitratu, modò ad hanc, modò ad illam confluere poſſunt, mandat Synodus, vt infra proximum Paſcha, poſt publicationem decretorum huius Cõcilij, Epiſcopi, prout melius expedire iudicauerint, dictos parochianos cum ſuis familijs certis parochijs aſsignent. In ijs verò parochijs, quæ certis familijs, nõ autem certis finibus diſtinctæ ſunt, præcipit earum parochis, ad euitandas cum vici-

Cõc. Trid. Seſſ. 24. c. 13. verſ. In hisquoque. nis parochis cõtrouerſas vt ſingulis annis de dem familijs etiam ſcripto exhibendis inte concordent.

CAP. III.

IN ſacramentorum adminiſtratione omnes parochi manuale Eccleſiæ cathedralis ſequãtur, & in illius defectum vtantur manuali Eccleſiæ metropolitanæ.

CAP. IIII.

Seſſ. 24. cap. 4. CVM ſacra Tridentina Synodo conſtitutum ſit vt Eccleſiarũ rectoribus tot ſacerdotes adiungantur, quot & ad ſacraměta parochianis adminiſtranda, & ad diuinũ cultum ſatis eſſe poſsint; in plurimis autem huius prouinciæ Eccleſijs parochialibus vnus ſit cum ſuo cuſtode ſeu clerico Sacerdos; æquiſsimum iudicat hæc Synodus, vt qui in ijſdem capellanias obtinent, ad Paſtori in prædictis cooperandũ, ideóque ad perſonalě reſidentiã, iuxta veriſsimilem fundatorum intentionem obligětur. Verum cùm hoc ſit difficillimũ, quoad omnes obtinentes capellanias in vſũ reuocare, in ijs ſaltem hoc omnino mãdat obſeruari; inquibus de dicta obligatione ex originali, aut authětica fundationis copia cõſtare poterit.

CAP. V.

CVM ſacramenta Eccleſiæ, non ſolum ſine Symo-

ſymoniæ labe, verùm etiam ſine auaritiæ ſuſpicione adminiſtranda ſint, caueant omnes, ne in eorum adminiſtratione quicquam exigant directè vel indirectè; ſponte autem oblatum accipere, & iuxta laudabilem locorum conſuetudinem debitum à fidelibus parochianis poſt ipſam adminiſtrationem etiam exigere poſsint. *c. ad apoſtolicã. ex. de Symo.*

CAP. VI.

OMNES qui adminiſtrant ſacramenta, illorum vim & vſum, pro eorum qui ſumpſerint & adfuerint capacitate, & intelligentia diligenter explicent. *Con. Trid. ſeſſ. 24. cap. 7.*

CAP. VII.

MAXIME prouideant, ne dum alijs miniſtri ſunt ad ſalutem, ſeipſos in periculum dãnationis inijciant, ideóque diligentiſsimè præcaueant, ne ſint aliquo mortali peccato infecti cũ ſacramentum quodcunque adminiſtrant.

CAP. VIII.

SACRA olea quotannis quiſque parochus per ſeipſum, aut alium honeſtũ ſacerdotem adferat ex ea Eccleſia vnde conſueuit, eaque in vaſculis honeſtis, & mundis recondat, & reuerenter ſtatim ad ſuam Eccleſiam deferat, nec interim *c. preſbiteri qui diæceſanas de conſec. diſt. 4.*

rim cum ijſdem in via in tabernis compotationibus ſe dare audeat, ſub pœna decem florenorũ quoties quiſpiam hac ratione ſcandalũ dediſſe comperietur.

CAP. IX.

CVM primum ſacra olea acceperit, ne veteribus vllo pacto vtatur, ſed quicquid ex ijs ſuperfuerit, totum id lampadi, quæ lucet ante venerabile ſacramentum infundatur, vel ſuper piſcinam comburatur.

c. Si quis de alio de cõſ. diſt. 4.

CAP. X.

TAMETSI ſacra Synodus non ignoret Paſtores ex ſe paratos eſſe adminiſtrare ſacramenta omnibus ſuis parochianis, etiam peſte infectis, tamen quia experientia cognitum eſt, eam eſſe multorum parochianorum infirmitatem, & puſillanimitatẽ, vt à proprio Parocho abhorreant, ſimulatque eundem alicui vel leuiter de peſte ſuſpecto ſacramenta adminiſtraſſe intelligunt, præcipit vt tempore peſtis Capellani cõſtituantur ſumptibus ærarij publici, vel collectis ſingulorum parochianorum, in quorum vtilitatem euidẽter hoc cedere intelligitur, qui ſacramenta dictis peſte infectis, ijſque ſolis adminiſtrẽt, quibus capellanis Epiſcopi dent curam animarum.

TIT.

TIT. VI.

DE BAPTISMO.

CAPVT PRIMVM.

FONS baptiſmalis ſingulis annis in ſabbatho ſancto, & vigilia Pentecoſtes mũdetur, idque nõ à laico cuſtode, ſed ab aliquo ſacerdote, & in eo toto anno aquam baptiſmalem ſemper mundam parochus aſſeruet.

CAP. II.

PAROCHI pro pueris baptiſandis vocati, quantò breuiorem poterunt horam præfigant, qua puer ad Eccleſiam deferatur, eaque ad Eccleſiam ſe conferant: quod ſi propter ipſorum moram puer ſine baptiſmo moriatur, grauiter puniantur; nec differant eo prætextu baptiſmũ impendere puero, quòd ſit illegitimus, nec habeat fideiuſſorem pro ſua alimentatione, neque in eo obediant magiſtratibus ſecularibus.

CAP. III.

CONTRA, ſi parentes fuerint in mora diutius puerorum baptiſmum differentes, mone-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

antur diligenter à parochis, quibus ſi obedire noluerint, Epiſcopi certiores reddantur.

CAP. IIII.

Seſſ. 24. de reſor. matr. cap. 2.

DECRETVM Concilij Tridentini de vno patrino, aut vna matrina, & ad ſummum vno & vna, diſtrictè ſeruetur ab omnibus paſtoribus, ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis.

CAP. V.

CVM patrini ſint ſponſores fidei pro puero ſuſcepto, qui ad eum, cùm adoleuerit, in fide erudiendum obligantur, non admittãtur in patrinos aut matrinas pueri, qui nondum habent vſum rationis, multò minus hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti, excõmunicati, aut qui in Paſchate non ſunt confeſsi, nec ſacram communionem receperunt.

CAP. VI.

PVERIS etiam non permittant parochi imponi nomina paganorum; ſed nec eorum, qui ab Eccleſia pro ſanctis non coluntur.

CAP. VII.

ANTEQVAM procedant ad baptiſma, diligenter inquirant ab obſtetricibus num puerum bapti-

aptiſarint;quod ſi aſſerant, vlterius rogent qua forma & qua materia vſæ fuerint. Quod ſi depræhēdant vel in forma, vel in materia erratum fuiſſe, ipſi baptiſent, alioquin à baptiſmo abſtinentes, exorciſmos tantùm, & cæteras Eccleſiæ orationes, adhibitis ſolitis cæremonijs pronuncient,nec vnquam conditionali baptiſmo vtantur,niſi cùm re diligenter perquiſita,dubium relinquitur, an baptiſmum rite ſuſceperit puer: qui contra fecerit,ſciat ſe ſacrilegium cōmittere, & irregularitatem incurrere.

Vide catechiſ. ad parochos tit. de baptiſmi ſacramēto verſ. Neque verò quiſquā putet. c. 2. lib. 3. decret. tit. de Baptiſ. & eius effec. d. loco catechiſmi ad parochos.

CAP. VIII.

INFANS verò expoſitus,licet appēſum collo ſcriptū habeat,quo baptiſatus ſignificetur, ſi tamen hoc aliter cōſtare non poſsit,ea cōditionali formula baptiſetur,quàm præſcribit ex Alexandri tertij conſtitutione catechiſmus Cōcilij Tridentini,Si tu es baptiſatus,ego te iterū non baptiſo,ſed ſi tu nondum es baptiſatus,ego te baptiſo in nomine Patris & Filij & Spiritus-ſancti.

d. c. 2.

CAP. IX.

BAPTISATI ab hæreticis,ſi conſtare poſsit formam non eſſe ſeruatam, in forma Eccleſiæ conſueta baptiſentur,aliàs etiā ſi ſint adulti,poſt abiurationem hæreſis, & reconciliationem cum

Eccle-

Eccleſia Catholica, ſolæ cæremoniæ, exorciſm & orationes, vt in pueris, adhibeantur.

CAP. X.

QVOD & ſeruetur in ijs, quos neceſsitas coëgerit extra Eccleſiam baptiſari, vt videlicet poſtea, ſi bene habeant, ad Eccleſiam pro dictis cæremonijs adhibendis, deferantur.

CAP. XI.

QVIA verò experientia cognitum eſt, multas obſtetrices in forma, aut in materia interdũ errare, mandat ſacra Synodus vt nullæ mulieres deinceps ad huius officij exercitium admittantur, niſi prius per Paſtorem loci examinatæ, &, ſi opus ſit, inſtructæ fuerint. Rogentur autem magiſtratus, vt inter cætera ab eiſdem obſtetricibus *ed. reg. art. 9.* iuramentum exigant, quòd pueros baptiſandos, ante diem tertiũ omnino parochis denunciabunt.

CAP. XII.

NON omittat Parochus monere omnes qui baptiſmo aſsiſtunt, vt dum ſacra illa myſteria peraguntur, non riſibus aut fabulis, ſed precibus vacent, aut diligenter ad ea quæ aguntur intendant.

CAP.

CAP. XIII.

PRIMA vice qua mulieres à puerperio domum exeunt, iuxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, ad Eccleſiam rectà ſe conferant, gratias acturæ Deo pro beneficio puerperij, & vt à proprio Paſtore, ſeu eius vicē gerente, & non ab alio purificentur.

CAP. XIIII.

PAROCHVS habeat librum, in quo ſingulorum baptiſatorum, necnon parentum, & patrinorum ac matrinarum nomina, diémque baptiſmi diligenter deſcribant, qui (ſi ſit collegiata Eccleſia) cum impletus fuerit, in archiuio capitulí reponatur; ſi parochialis, æditituis Eccleſiæ aſſeruandus tradatur, cuius tamē libri inſpectio ipſi parocho, & alijs quorum intererit, libera ſit, quoties opus fuerit. *Conc. Tridē. ſeſſ. 24. de refor. matr. c. 2.*

TIT. VII.
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAPVT PRIMVM.

EPISCOPI ſacramentum Confirmationis adminiſtraturi, aliquot antè diebus curent per parochos populum de ſequentibus diligenter moneri. Imprimis de dignita-

te, vi, & effectibus huius ſacramenti, de cõfeſsione præmittenda ab ijs qui erunt confirmandi, ſi ad diſcretionis annos peruenerint, de prohibita eiuſdem ſacramenti iteratione ſub pœna ſacrilegij, eó quod imprimat caracterem; denique de patrinis aut matrinis neceſſarijs non minus quàm in baptiſmo, vt proinde ſinguli puerorum ab aliquo præſentandi adducantur, mares quidem quoad fieri poterit à viris, & puellæ à mulieribus, quorum etiam officium Parochus declaret, nempe quòd eorum puerorum, quos ſuceperint, tanquam filiorum ſpiritualium curam gerere, eóſque prima fidei rudiméta docere debeant, ſi ea ignorent. Qui quidem ſuſceptores ipſi antea ſint ſacro chriſmate confirmati, maiores quoque natu, aut ſaltem pares ijs, quos præſentant, aut ſuſcipiunt, cum minor maiori monendo aut corrigẽdo Patris vice eſſe non poſsit. Moneantur etiam de conferendis mundis linteis iuſtæ longitudinis vt fronti, & capiti circuncingi poſsint.

CAP. II.

NON infra ſeptimum aut octauum annum pueri cõfirmentur, qui ſciant diſtintè orationẽ Dominicam, ſalutationem Angelicam, & ſymbolũ Apoſtolorũ, niſi Epiſcopis aliter videatur.

TIT.

TIT. VIII.
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPVT PRIMVM.

SACERDOTI præter ordinis poteſtatem quam in ſacerdotio accepit ad audiendas confeſsiones, etiam poteſtas iuriſdictionis neceſſaria eſt: ideóque ſacroſancti Concilij Tridẽtini decreto *Seſſ.23. c.15.* inhærens hæc Synodus, neminem etiam regularem quantumuis exemptum ad audiendas ſecularium, etiam clericorum confeſsiones idoneum eſſe declarat, qui non antea per Epiſcopũ idoneus iudicatus fuerit & admiſſus. Admiſsionem autem cùm eadem Tridentina Synodus gratis dandam eſſe decernat, eam in ſcriptis concedi voluiſſe ſatis apparet; proinde præcipit, vt ab omnibus qui beneficium nõ habent, cui cura animarum ſubſit, in ſcriptis habeatur.

CAP. II.

QVOD etiam de confeſsionibus ſacerdotum, & aliorũ clericorum, qui paſsim hactenus, ſine admiſsione ſibi inuicem ſua peccata confitentur, intelligendum decernit.

CAP. III.

Cvm autem varij libri inſtructiones cõfeſſariorum contineant,ad eos recurrant parochi, & alij ad confeſsiones deputati,vt pote ad catechiſmum Concilij Tridentini,Directorium Polanci,& alios ſimiles.

CAP. IIII.

Conc.Tride. ſeſſ.14. cap.7.

Qvæ tamen ſequuntur, vt non omnibus obuia,hîc exprimenda duxit hæc Synodus. Imprimis caueant diligenter confeſſarij omnes, nequenquam abſoluant à caſibus ſedi Apoſtolicæ aut Epiſcopo reſeruatis, ſi ad hoc ſibi ſpecialiter conceſſam non habent facultatem.

CAP. V.

Qvia verò ſæpe occaſione Indulgentiarum à ſummo Pontifice,vel aliàs ab Ordinario poteſtas datur commutandi vota, videat hoc caſu confeſſarius,vt vel in maiora pietatis opera,quæque Deo gratiora futura ſint, vel ſaltem in æquè pia,deóque grata illa commutet, habeátque rationem in dicta commutatione laborum & ſumptuum,quos,ſi perſoluendum fuiſſet votũ, pœnitens ſubire aut ferre debuiſſet, fiátque huiuſmodi commutatio ſine præiudicio tertij.

CAP. VI.

c.ſacerdos de pœnit. diſt.6.

ONFESSIONIS ſigillum, quod ſub grauiſſima depoſitionis pœna ſacri canones inuiolatũ eſſe voluerunt, ſi quis confeſſariorum violare præſumpſerit, ab audiendis confeſsionibus in perpetuum ſuſpendatur, & prout iuris eſt, grauiter puniatur.

CAP. VII.

c.cum infirmitas ex. de pœnit, & remiſſ.

SALVTAREM Innocentij tertij conſtitutionem in Concilio generali editam in vſum reuocando, ſtatuit hæc Synodus, vt medici ad ægros in lecto decumbentes vocati, antequam illorum curam ſuſcipiant, eos moneant de aduocando confeſſario, qui ſi intra quatriduum non paruerint, eorum curam deſerere ſub excommunicationis infligendæ pœna omnino teneantur, niſi æger paulò ante morbum confeſſus ſit.

CAP. VIII.

PAROCHVM etiam curabũt moneri, quamprimùm aliquem ægrum in eius parochia viſitauerint, qui ſic monitus ægrum ipſum accedere, eumque ad ſuſcipiendum hoc ſalutare Pœnitentiæ ſacramentum modis omnibus inducere

 debeat.

debeat. Idem facere teneantur ..
grotis aſsiſtunt.

CAP. IX.

Ne autem negligatur præceptum Eccleſiæ de confitendo proprio Paſtori, & communicando quotannis, iuxta c. Omnis vtriuſque ſexus. ext. de pœnit. & remiſſ. ſcribantur omnium tam cõfitentium, quàm communicantium in Paſchate nomina & cognomina tam à regularibus, quàm ſecularibus, qui ea paſtoribus tradant in regiſtrum conſcribenda, & poſt Paſcha, paſtores omnium eorum, qui non communicauerunt, nomina ad Epiſcopum referant.

CAP. X.

Neminem verò obligent paſtores, alijúe confeſſarij, vt perpetuò ſibi, nunquam alteri confiteantur, neque vota caſtitatis à filiabus confeſsionis exigant, aut admittant abſque Epiſcopi conſilio, & à nimia familiaritate abſtineant.

TIT. IX.
DE SANCTTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAPVT PRIMVM.

CVM is, qui in auguſtiſsimo Euchariſtiæ ſacramento cõtinetur ſit ſplẽdor lucis æternæ, cui non poteſt à nobis condignus honor impendi, non immerito antiquus Eccleſiæ ritus obtinuit, vt tã de die, quàm de nocte in templis cum lumine aſſeruetur, & non niſi lumine præeunte, & cum campanulæ ſono, ad ægros deferatur. Quare eorum imprimis, ſiue auaritiam, ſiue nimiam incuriam damnat hæc Synodus, qui in Eccleſijs tam regulariũ quàm ſecularium continuum ante ipſam Euchariſtiam lumen non fouent, niſi Ordinarijs conſtiterit Eccleſias ita pauperes eſſe, vt ſumptibus neceſſarijs ſufficere non poſsint; quo caſu, ſaltem toto officij diuini tempore, ante ipſum ſacramentum lumen habeatur: In ipſo verò altari omnino cerei, non autem candelæ ſebaceæ ſolæ accendantur.

c. ſane ex. de celebr. miſſ.

CAP.

CAP. II.

IMPROBAT ſimiliter abuſum eorum, qui ſanctam Euchariſtiam ægris, quia morbum diſſimulare volunt, ſeu alio quocunque prætextu occultè ſine lumine, & ſine honore deferunt, niſi de expreſſa Epiſcoporum licentia id faciant; ſed & eorum, qui deferunt quidem cum lumine, ſed ſine lumine, & interdum etiam ſine ſacra hoſtia ad Eccleſiam reuertuntur: præcipit itaque duas ſemper hoſtias deferri, ne Parocho ad Eccleſiam redeunte populus inane vaſculũ adoret, & cum eodem honore præeuntis luminis Parocho ipſo non minus redeundo quàm eundo ſtola & ſuperpelliceo ornato, niſi forte per aſpera & difficilia loca ipſi gradiendum ſit: quo caſu ſacerdos, quo poterit decentiore modo ad ægrotos ſanctiſsimam Euchariſtiam deferat.

CAP. III.

ADMODVM etiam indecens eſt quod ſolus Paſtor cum clerico ſuo præeunte, vt plurimùm ad ægris deferendum hoc ſacramentum procedat, aut pauci ex populo ſequantur. Quare ſæpe populum ſuum moneant parochi, vt frequens ſanctiſsimum hoc ſacramentum proſequatur, maximè ij, qui ſunt confratres ſodalitatum corporis

poris Chriſti, quas optaret ſancta Synodus vbique per Epiſcopos erigi, atque inſtitui.

CAP. IIII.

ANTEQVAM autem ad ægros deferatur, certis campanæ pulſibus ſignum detur, vt fideles, quibus vacat, conuenire poſsint.

CAP. V.

SACERDOS illud deferēs, ſi quem videat non flectentem genua, & non adorātem hoc ſanctiſſimum ſacramentum, moneat illum verbo aut ſigno ſui officij: ſi quem animaduertat facere ex contemptu, eum deferat ad Epiſcopum, aut eius vicarium.

CAP. VI.

QVI Eccleſiæ præcepto de communicando vt minimum in Paſchate non obedierint, trāſacta Dominica in albis Epiſcopo denuncientur; qui autem eo tempore à parochia abſfuerint, & reuerſi ſpatio dierum octo fidem non fecerint, quod in Paſchate communicârint, ſimiliter denuncientur, vt per ipſum Epiſcopum, niſi legitimam excuſationem attulerint, viuis Eccleſiæ ingreſſus, mortuis autem eccleſiaſtica ſepultura denegetur.

CAP. VII.

PVBLICOS concubinarios,fœneratores, & eos qui palam inimicitias exercent, ad ſacram communionem admitti vetat hæc Synodus, niſi prius aliquod veræ & ſolidæ cōtritionis argumentum dederint,& primi quidem concubinas dimiſerint,alij vſuris renunciauerint, & iniuſta lucra reſtituerint,aut de reſtituendis cautionem dederint,tertij pacem inierint,& ex vero charitatis affectu inimicum animum planè depoſuerint.

CAP. VIII.

CALICVM ſtanneorum vſum, ob tanti ſacramenti reuerentiam, optaret eadem Synodus planè eſſe abolitum; ſed quia plurium Eccleſiarum paupertas, necnō pericula direptionum, hoc adhuc commodè ferre poſſe non videntur, hortatur omnes,vt paulatim alios, quorū cuppa ſaltem ſit argentea ſubſtituant, & interea qui dictis ſtanneis vtuntur, eoſdem ipſimet ſingulis menſibus quàm diligentiſsimè mundent.

TIT. X.
DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPVT PRIMVM.

QVAMVIS Tridentina Synodus & prima prouincialis Cameracenſis exactè complectantur ea, quæ ad ſacramenti Ordinis adminiſtrationem pertinent, quæ tamen ſequuntur adijcienda duxit hæc Synodus. *Seſſ.23. Tit. de miniſterijs eccleſ.*

Imprimis vt teſtimonia vitæ & probitatis morum quæ adferri debent à ſingulis ordinandis, omninò ſignata ſint á Decanis ruralibus, ac deinceps ab eiſdem decanis clauſa & obſignata mittantur, ſub pœna reiectionis eorundem, & non admiſsionis ipſorum ordinandorum. Si quis autem ſine illis litteris venerit, is non admittatur, immò ne quidem examinetur.

CAP. II.

PROCLAMATIONES promouendorum ad ſingulos ordines, fiant iuxta decretum Concilij Tridentini; & qui de his fidem non fecerint in examine, reijciantur. *Seſſ. 23. c. 5*

CAP. III.

TITVLI patrimoniales & beneficiales ſint imposterum quadraginta, vt minimum, florenorum oneribus deductis, nec vllus eorum, niſi viſis litteris, in debita forma expeditis, admittatur, impetreturque à regia Maieſtate ſeu conſilio Regio edictum, quo fraudibus eorũ, qui dictos titulos, contra iuramentum à ſe præſtitum, ſœpe alienant, occurratur.

art. 1. edicti regij.

CAP. IIII.

FORMA verò iuramenti, quod præſtare tenebũtur ij, qui patrimoniali titulo ad ordines promouebũtur, ſit hæc. Ego N. iuro, quòd in acquiſitione bonorum meorum patrimonialium, ad quorum titulum ſum promouendus ad ſacros ordines, nulla fraus aut dolus interceſsit, quòdque illa verè poſsideo, neque impoſterum directè aut indirectè alienabo, niſi fuerit mihi de beneficio eccleſiaſtico æquè ſufficienti prouiſum; quo caſu id ipſum non faciam ſine cõſenſu mei Epiſcopi, in litteris ipſius alienationis ſpecialiter exprimendo: beneficium autem, quod in dicti tituli mei locum ſucceſſerit, ſine ſimili conſenſu non reſignabo. Ita me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

CAP.

CAP. V.

FAVORE ſeminarij & ſtudiorum, prouiſio eiuſdem cum certa ſpe de futura prouiſione alicuius paſtoratus, aut alterius beneficij pro ſufficienti titulo habeatur, modo tamen fideiuſſor detur, qui, deficiente eiuſmodi prouiſione, pro eius alimentis reſpondeat.

CAP. VI.

OMNES qui ordinantur, alicui Eccleſiæ aſcribātur, & in proximi ordinis ſuſceptione examinētur ſinguli, num in ijs Eccleſijs quibus aſcripti fuerint, ſuas fūctiones obierint: ſinguli autem ordinati in ſuis ordinibus miniſtrare teneantur, ſacerdotes quidem frequenter celebrādo, reliqui per vices, diebus maximè ſolennioribus ſacerdotibus miniſtrando. *Cōc. Trid. ſeſſ. 23. c. 16.*

TIT. XI.
DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPVT PRIMVM.

CVM ſacroſanctum generale Concilium Tridētinum, eos qui aliter quàm coram Parocho, vel alio ſacerdote de ipſius Parochi ſeu Or- *Seſſ. 24. de refor. matr. cap. 1.*

dinarij licẽtia, & duobus vel tribus teſtibus matrimonium contrahere attentabunt, ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddiderit, & huiuſmodi cõtractus irritos, & nullos eſſe declarâ-rit; hæc Synodus in vim illius decreti matrimonia omnia in ijs, quas hæretici occupant, prouincijs, ab ijs contracta qui ſunt oriundi ex aliquo loco, vbi publicata ſunt decreta eiuſdem Concilij omninò nulla & irrita eſſe (niſi contracta ſint coram aliquo ſacerdote ad hoc ſpecialem poteſtatem habente) & ijs non obſtantibus, eos qui ſic contraxerint, poſtquam ad gremium Eccleſiæ redierint, ſi induci non poſsint ad dicta matrimonia ratificandum, & in facie Eccleſiæ de de nouo celebrandum, conuolare poſſe ad alias veras nuptias, etiam adhuc viuentibus, quas ſic contra canones duxerint, coniungibus declarat & decernit, & ſic ſæpe à concionatoribus populũ doceri, vt impoſterum ab huiuſmodi matrimonijs omnino abſtineant hortatur & præcipit.

CAP. II.

QVIA verò quis ſit proprius Parochus, & ea occaſione quæ ſint valida aut inualida matrimonia in dubium ſæpius reuocari contingit, declarat eadem Synodus neminem cenſeri ali-

cuius

cuius parochiæ aut diœceſis, quoad matrimonium contrahendum, niſi qui animo ibidem reſidendi, non autem ſtatim ad propria redeundi, vel alio commigrandi, in ea vel diœceſi vel parochia ſedem fixerit, ita vt ſtudioſi, qui in aliqua vniuerſitate, vel alio oppido ſtudijs incumbunt, & alij ſimiles ſedem fixam non habentes, non cenſeantur eſſe illius parochiæ vel diœceſis, quoad dictum effectum matrimonij contrahendi.

CAP. III.

PAROCHVS qui trinas tribus diebus dominicis aut feſtis diſcontinuis proclamationes non fecerit, antequam matrimonio iungat coniuges, niſi remiſsionem earumdem viderit per Epiſcopum aut eius vicarium in ſcriptis factam, grauiter Ordinarij arbitrio puniatur, non obſtante quacunque per eum prætenſa in cæteris exemptione.

CAP. IIII.

QVI verò alienos parochianos matrimonia iungere auſus fuerit, non habita proprij earumdem Parochi aut Ordinarij licentia in ſcriptis & de

de proclamationibus in loco fixæ eorundem reſidentiæ factis, atteſtatione, ab officio ſit eo ipſo ſuſpenſus, quoad vſque ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſoluatur.

Cõc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 1. verſ. quod ſi quis Parochus.

CAP. V.

IGNOTI, & qui certas ſedes non habent, non admittãtur ad matrimonium contrahendum, niſi præuijs atteſtationibus Paſtoris, vbi nouiſsimam fecerint reſidentiam, aut aliorum fide dignorum, quorum ſigilla vel ſignaturæ ſint Paſtori coram quo contrahere volent, bene notæ, aut ſufficenti aliorum depoſitione apud eundem comprobatæ.

Cõc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 7.

CAP. VI.

DE cætero quoque non admittantur ad matrimonium contrahendum, qui ignorãt orationem Dominicam, ſalutationẽ Angelicam, ſymbolum Apoſtolorum latinè omninò, ac etiam vernaculè ſi velint, decem præcepta Decalogi, & quinque præcepta Eccleſiæ vernaculè; quod decretum ſæpe à paſtoribus in culcetur populo, & vigorem habere incipiat poſt ſex menſes à publicatione eiuſdem.

CAP.

CAP. VII.

PROPTER pericula ſalutis animarum, innouandam duxit hæc Synodus prohibitionẽ antiquorum canonũ, ne fideles cum hæreticis nuptias contrahant. Quare paſtores non minorem rationem habeant huius Inquiſitionis, in faciendis proclamationibus, quàm reliquorum impedimentorum, & ſi alterum coniungendorũ hæreſi infectum, aut non temerè ſuſpectum inueniant, eos non coniungant, niſi parati ſint hæreſim abiurare, & fidei profeſsionem facere.

c. caue cũ ſeq. 28. q. 1 & Conc. Eliber. can. 16.

CAP. VIII.

QVIBVS temporibus Eccleſia prohibet nuptias, iiſdem multò magis prohibet publicas choreas, & ſolennitates nuptialium cõuiuiorum, & ſpõſarum publicas traductiones. Ideoq́ue ſi quæ nuptiarum conuiuia, aut choreæ, vel ſponſarum publicæ traductiones dictis temporibus celebratæ fuerint, ſponſus & ſponſa incurrant pœnã quinquaginta florenorũ, burſæ communi pauperum cuiuſque loci applicandam, cui ex nũc, prout ex tunc ius quæſitum fore declarat hæc Synodus.

Conc. Tridẽ. ſeſſ. 24. de reform. matr. cap. 10. c. nec vxorem. 33. q. 4.

CAP. IX.

PASTORES ſæpius doceant populum, tum cætera omnia, tum verò ea, quæ circa huius ſa-

d.ſeſſ.25 de reform. matr. cramenti adminiſtrationem decernit ſacroſanctum Concilium Tridentinum.

CAP. X.

Ibid.c.1. verſ.habeat parochus. HABEANT ijdem Paſtores, iuxta decretum eiuſdem Concilij librum, in quo eorum, quos matrimonio coniungent, nomina & cognomina, necnō & ipſorum teſtium, ac diem & horam contracti matrimonij deſcribant, quem diligenter apud ſe aſſeruent, & vbi impletus fuerit, in archiuio capituli reponatur, vel ab æditituis Eccleſiæ, prout de libro baptiſatorum ſuprà ſtatutum fuit, aſſeruetur.

CAP. XI.

PAROCHI diligenter obſeruent, num aliquod ſit inter contrahere volentes conſanguinitatis aut affinitatis, vel publicæ honeſtatis, aliudue canonicum impedimentum. Quod ſi ipſi ea diſcernere non norint, peritiores conſulant, alioqui ſi ſcienter aliquos in gradibus prohibitis coniunxerint, ad annum ſuſpendantur, aut alia arbitraria pœna puniantur.

TIT.

TIT. XII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

CAPVT PRIMVM.

EO diligentiores & promptiores in huius ſacraméti adminiſtratione parochi eſſe debent, quò difficilius ac periculoſius certamen fideles, in illa extrema hora, aduerſus antiquũ hoſtem ſuſtinere coguntur; itaque nõ expectet Paſtor, vt rogetur de hoc ſacraméto adminiſtrando, ſed ipſe ſæpius viſitãs ægrotos, eos ad illud petendum & ſuſcipiendũ cohortetur, & cãpana aliqua pulſetur ex parochijs, cuius ſono omnes intelligant, deferẽdum extremæ Vnctionis ſacramentum, moneanturque fideles, vt hoc ſigno dato, ſe ad Eccleſiam cõferant, & ſacerdoti ſe iungant, pro ſalute ægri cum eodem deprecaturi, & ad hoc opus charitatis, etiam propoſitis Indulgétijs, vbi expedire iudicauerit Epiſcopus, inuitentur: cæteri, quibus non vacat, erigant ſaltem animum in cœlum, & pro ſalute decumbétis aliquam oratiunculam offerãt Deo; extrema enim hac neceſsitate, fideliũ precibus ægri maximè indigent, & ijſdem plurimum iuuantur.

CAP. II.

Nec ſine ſuperpellicio,nec ſine paruæ crucis geſtatione vnctio deferatur: quoad fieri poterit is,cui ſacramentum extremæ vnctionis adminiſtratur, prius confeſſus, & ſacramento Euchariſtiæ refectus & munitus ſit, ſic enim fiet, vt hoc ſacramentum vim ſuam & proprios effectus in eo melius operetur.

CAP. III.

Hoc ſacramentum nec pueris qui rationis vſum nondum habent, nec amentibus aut furioſis,qui lucidum circa mortem non habẽt interuallum,nec ijs qui bene valent, etiam ſi mortis periculo ſe breui exponere debeant, vlla ratione eſt conferendum.

CAP. IIII.

Sed nec vna ægritudine,etiam ad plures menſes perdurante, eidem ſæpius conferri debet, quamuis in diuerſis ægritudinibus liceat.

CAP. V.

Si cui forte manus amputata,erutus oculus, aut aures præciſæ ſint,aliaúe corporis pars, ex ijs quæ vngi ſolent, quauis ratione deerit, propinquior pars inungatur.

CAP. VI.

In ſacerdote verò vngendo, manus non ab interiori partæ, quæ in ordinum ſuſceptione vncta fuit, ſed extrinſecus inungendæ ſunt.

TIT. XIII.
DE FVNERIBVS, SEPVLTVRI[illegible]S, ET EXEQVIIS.

CAPVT PRIMVM.

Pvblicos ſymoniacos, religioſos proprietarios, hæreticos, ſchiſmaticos, veneficos, ſortilegos, vſurarios, & eos qui ſibi manus violentas intulerunt, aut in duello mortui ſunt, eoſque qui tempore Paſchali confiteri peccata ſua & ſanctiſsimum ſacramẽtum Euchariſtiæ recipere contempſerunt, ac poſtmodũ ſubita morte præuenti ſunt, necnon etiam eos, qui cùm antea fuerint ſuſpecti de hæreſi, Paſtorẽ ad ſe in morbo aduocare neglexerunt vſque in extremam penè vitæ horam, qua ipſis iam rationis vſu, & officio priuatis à parentibus & amicis Paſtor aduocatur (niſi eodem Paſtore pręſente ſignũ ali-

quod notabile Pœnitẽtiæ dederint) eccleſiaſtica ſepultura priuandos, ac per eorum ſepulturã in templis, tam templũ quàm cœmiterium contiguum; in cœmiterijs verò, cœmiterium tantum de iure pollutũ eſſe declarat hæc Synodus. Qui autẽ eos ſepelierint, aut ſepeliendos curauerint in templis aut cœmiterijs, excommunicentur.

CAP. II.

RELIQVIS Chriſti fidelibus in fidei Catholicæ cõfeſsione defunctis Paſtores prætextu ſuorum iurium, ſeu alio quocunque eccleſiaſticam ſepulturam nec denegare, nec differre præſumãt.

CAP. III.

PRO loco ſepulturæ, etiam eo prætextu quòd cedat fabricæ, aut alij piæ cauſæ, nihil ex pacto exigatur, ſed ſi quis iuxta cuiuſque loci piam & laudabilem conſuetudinem à defuncti hæredibus vel executoribus donetur, ipſi fabricæ cedat, non autem in vſus Canonicorum, Paſtorum, aut aliarum perſonarum conuertatur.

CAP. IIII.

SI qua controuerſia de efferendis, aut iam ſublatis defunctorũ corporibus, vel aliqua alia re eò ſpectante oriatur, ad Epiſcopi iudicium referatur.

CAP.

CAP. V.

SEPVLTVRAS eminentes fieri, necnon inhumata ſemel corpora exhumari ſine expreſſa licentia ordinariorum Synodus interdicit.

CAP. VI.

COEMITERIA diligenter ſepiantur,& claudantur, nec animalia in eiſdem ad paſcendũ admittantur; multò minus in eis ſordes fiant, aut aliunde inferantur. Qui in iſtis culpabiles fuerint,arbitrio Epiſcoporum puniantur.

CAP. VII.

QVOD clero ob funus,aut exequias defunctorum datur,ne durante ipſo officio,& ſpectãte populo, ſed eodem officio finito, ijs qui eidem ab initio vſque ad finem adfuerint,diſtribuatur.

CAP. VIII.

PROPRIO Paſtori tam pro officio exequiarum, quàm reliquis charitatis officijs defuncto, vita eius durante,impenſis,æquum eſt debitum honorariũ poſt mortem præſtari: ſed quia hoc difficillimũ viſum eſt Patribus pro ſingulis locis vniformiter ſtatuere atque definire, curent Epiſcopi in ſuis ſinguli diœceſibus circa id prouidere,prout ſtatuitur cap.7.tituli de decimis dicti Concilij Prouincialis.

TIT. XIIII.

DE OBLATIONIBVS, DECIMIS ET PORTIONE CANONICA.

CAPVT PRIMVM.

OBLATIONES à Chriſti fidelibus factas durante ipſo ſacrificio, ab ijs qui ipſis colligendis præſunt auferri omninò prohibet hæc Synodus, ſed hoc fiat finito ipſo officio.

CAP. II.

QVÆ verò communiter ad Paſtores & alios eccleſiaſticos pertinēt, eæ ſimiliter poſt officium diuinum ad ratam Iuris, quod vnuſquiſque in ijs habet fideliter diuidãtur, & in eis conducendis, cæteris paribus, paſtores præferantur.

CAP. III.

QVONIAM in decimarum ſolutione fraudes multas cōmitti quotidie videmus, non tam ob paupertatem quàm ob auaritiam multorũ, decretum Cõcilij Tridentini ſeſſ.25.c.12. reform. hic inſerendum cenſuit.

Non ſunt ferendi, qui varijs artibus decimas, eccleſijs obuenientes, ſubtrahere moliuntur; aut qui ab alijs ſoluendas temere occupant, & in rem ſuam vertunt: cùm decimarum ſolutio debita ſit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas

.. ræcipit igitur ſancta Synodus omnibus, cuiuſ- ..ique gradus, & condicionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, impoſterum cathedrali, aut quibuſcũque alijs Eccleſijs vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſoluant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluãtur. Hortatur dehinc omnes, & ſingulos, pro Chriſtiana charitate, debitoque erga Paſtores ſuos munere, vt de bonis ſibi à Deo collatis, Epiſcopis & Parochis, qui tenuioribus præſunt eccleſijs, largè ſubuenire ad Dei laudem, atque ad Paſtorum ſuorum, qui pro eis inuigilant, dignitatem tuendam, non grauentur.

CAP. IIII.

QVOD decretum ab omnibus concionatoribus præcipit eadem Synodus populo ſæpe inculcari, ac eiuſdem tenorem mãdato Epiſcoporum ſingulis annis paulò ante meſſem per omnes Parochos ex ſuggeſtu publicari, necnon copiam eiuſdem ad valuas ſingularum præcipuarum Eccleſiarum parochialiũ affigi, & dimitti, & nihilominus eos qui decimas vi, dolo, terroreúe ſubtraxerint, vel occupauerint, aut alios, ne ſoluant impedierint, vel diſſuaſerint, competenti monitione præmiſſa excõmunicatione feriant Epiſcopi, nec eos ante reſtitutionem integre factam abſoluant.

CAP. V.

EOS etiam qui in fraudem decimæ lanarum & agnorum poſtquam oues maiore anni parte pauerint in territorio alicuius Parochiæ, eaſdem

aliò abducunt,& paſtoribus prioris p... ratam ſaltem temporis decimam ſoluere recuſant, ſimili ſentẽtia excommunicationis feriendos: paſtores verò qui ſcienter cum eiuſmodi mercatoribus, aut paſtoribus ouium in fraudem decimæ dicto priori paſtori debitæ ſcienter cõuenerint,ab officio & beneficio,donec male recepta reſtituerint,ſuſpendẽdos eſſe decernit.

CAP. VI.

Seſſ. 24. c. 13. VT Eccleſijs parochialibus inopia laborantibus tandem aliquãdo ſuccurratur, ad executionem decreti Cõcilij Tridentini, quo triplex via ad ipſarum prouiſionem aperta eſt, videlicet per beneficiorum eccleſiaſticorũ vnionem, primitiarum, decimarumúe aſsignationem, & parochianorum ſymbola ſeu collectas ſeriò procedere volens hæc Synodus,mandat vt omnes qui ad portionem canonicam parochis aſsignãdam tenẽtur,in ijs locis vbi decimas percipiunt, altero priorum modorum eiſdem prouideant infra quatuor menſes à die publicationis decretorum huius Cõcilij, alioquin Epiſcopi ſeu eorundem vicarij, aut Officiales ſummariè & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicij, audita nuda petitione parochorũ,ac eorum quorũ intereſt reſpõſione, & facta deſuper ſummaria informatione, quod ipſi parochis deeſſe compererint,ad ſummã inferius

...atam per modũ prouiſionis, ſuper quæ appellatio executionẽ nõ ſuſpẽdat adiudicabũt.

C A P. V I I.

DICTA verò parochorum petitio continere debebit veram & certam, ſeu particularem bonorum ipſis ratione ſuæ Eccleſiæ parochialis competentium, & onerum annexorum (quę deduci debebunt) proprio iuramẽto firmatam declarationem in qua ſi ipſi parochi aliquid ſcienter ſuppreſsiſſe depræhendantur, & cauſa cadãt, & grauiter arbitrio Ordinarij puniantur. Decimarum tamen aſsignationes ita fiant, vt onerum vniuſcuiuſque æqua ratio habeatur.

C A P. V I I I.

IN parochijs verò vbi decimarũ aſsignationes, aut nullo modo, aut ſaltem ſufficienter fieri nõ poterunt, neque ſimplicia beneficia quæ vniantur erunt ad manum, implorato ſi opus ſit brachio ſeculari, Epiſcopi ad tertiam collectarum viam procedẽt, quas de Cõcilio magiſtratus ſtatuent & definient, nec patiẽtur diutius aut incuria aut ingratitudine parochianorũ parochis in vinea Domini tota die deſudãtibus, & portantibus põdus diei & æſtus denegari denariũ diurnũ. *ed. reg. art. 11.*

C A P. I X.

TAXA autem quam præſcribit Synodus, ſit in pagis centum vt minimum florenorum, & non

maior iſto; in vrbibus autem non m... quinquaginta & nõ maior florenis ducentis. Arbitrabitur autem Ordinarius, ſi paſtoribus cum ijs quos negotium tanget non conueniat, attentis circunſtantijs perſonarum, locorum & temporum, an in pagis dictam ſummam centũ florenorum; in vrbibus autem centum quinquaginta per ſuam ſententiam excedere debeat: ſed dictam ſummam centum quinquaginta in pagis, & ducentorum in vrbibus nulla ratione excedere poſsit, habebitque rationem in æſtimatione valoris bonorũ cuiuſque parochiæ, quoad vrbes tantum eorum accidẽtium, quæ tribus aut quatuor communibus annis ſimul computatis aliqualiter ad ſuum valorem in ſingulos annos reduci poſſunt.

CAP. X.

SI tamen in aliquibus locis maiorem ſummam paſtoribus adiudicari, aut accidentia in æſtimationem non venire iam vſu receptum fuerit, declarat ſacra Synodus ſuæ intentionis non eſſe, vt ab illo vſu, in præiudicium paſtorum recedatur.

CAP. XI.

CVM decimæ iure diuino deſtinatæ ſint ſeruitio Dei, æquiſsimum, & iuri cõſentaneum indicat

...m Synodus, vt quotquot habent in aliqua parochia decimarum portionem, ad cõtributionem portionis canonicæ paſtoribus earundem officium diuinum facientibus debitã, pro rata earũdem teneantur, ſiue per laicos, ſiue per clericos poſsideantur. Sed quia in quibuſdã locis ſuper decimis laicorum difficultas in dies oritur, exponatur Regiæ maieſtate eccleſiarum parochialium neceſsitas & difficultas quam patiuntur Epiſcopi in dictæ portionis canonicæ aſsignatione, vt ſuper eo authoritatẽ ſuam impartiri dignetur, necnon omnibus iudicibus Regijs mandet, vt ſententias iudicum eccleſiaſticorum, maximè prouiſionales ſuper dicta portione canonica exequantur, ſimul atque fuerint requiſiti abſque noua cauſæ cognitione.

Exod. 22. Leuit. vlt. num. 18. c. Eccleſijs 13. q. 1. c. Decimas 16. q. 1.

el. reg. art 12. & 19.

CAP. XII.

QVOAD ipſarum verò eccleſiarum reparationem vel in toto vel in parte, ſeruetur loci cõſuetudo, ita tamen quod vbi integri chori reparatio ad eos qui decimas poſsident pertinet, hoc ad omnes infra limites parochiæ decimas poſsidentes, iuxta decretum octauum tituli de decimis, oblationibus & portione canonica primi concilij prouincialis Cameracen. prout Iuris eſt & rationis extendatur.

TIT. XV.
DE RECTA BONORVM ECCLESIASTICORVM ADMINISTRATIONE.

CAPVT PRIMVM.

FERENDVM non eſt eccleſiarum, piorumque locorũ bona, quæ Chriſti & pauperum patrimonium non immeritò appellantur, à multis clericis indignè diſsipari & dilapidari, à plurimis verò laicis aut temerariè vſurpari, aut iniuſtè retineri. Cui malo hodie (proh dolor) frequentiſsimo occurere volẽs ſacra hæc Synodus inhærens decretis ſacroſanƈti Concilij Tridentini, ſancienda duxit quæ ſequuntur.

CVM alienationes bonorum eccleſiaſticorum iure communi ſint prohibitæ, contingátque nihilominus non rarò commiſsiones ſeu delegationes à ſede Apoſtolica impetrari ad decretum alienationi interponẽdum, ſi in euidentem Eccleſiæ vtilitatem cedere deprehendantur. Animaduertant diligẽter iudices omnes, vt eccleſiarum, de quibus agitur, nuda vtilitate perſpeƈta, maturè examinent & inueſtigẽt, omnia quæ literis

..licis præſcribũtur, nulla perſonarũ, a.. partium ratione habita, quæ cùm in huiuſmodi negocijs ſint cõcordes, eò attentius iudici eſt inuigilandum, ne Eccleſiæ bona non tam vtiliter vendita, quàm leuiter delapidata eſſe aliquando inueniantur.

CAP. II.

QVÆ verò alienationes huc vſque factæ ſint, eæ reuideantur ab Epiſcopis aut ab eis deputandis, & quæ in damnũ Eccleſiæ, aut ſine decreto ſuperiorũ, ac cauſæ cognitione factæ inuenientur, irritentur, &, ſi opus fuerit, nomine ipſius Epiſcopi, eius procurator fiſcalis, ijs etiam inuitis qui eas alienationes fecerint, aut ijſdem ſimul in cauſa adiunctis, & eorundem ſumptibus ad dictas irritationes procedat, ac de cætero eiuſmodi alienationes perpetuas ſub pœna excommunicationis ipſo facto tam per clericos, ſiue ſeculares, ſiue regulares eas facientes, quàm per laicos cum eiſdem contrahentes (à qua non niſi locorum Epiſcopi abſoluere poſsint) incurrenda, prohibet hæc Synodus. *ed. reg. art. 23.*

CAP. III.

LOCATIONES etiam bonorum Eccleſiæ ad lõgius tempus quàm ſacri canones præfixerunt ſactas, etiam ſub beneplacito ſedis Apoſtolicæ,

ſed

Ed. reg. d. ſed eo non ſequuto, neque vnquam ..
art. 23. Epiſcopi diligenter examinent, irritaſque & nullas declarent, & ſi opus fuerit, etiam per iudices ſeculares reſcindi curent.

CAP. IIII.

VT imposterũ verò ab huiuſmodi locationibus abſtineatur, clericos, capitula & Prælatos ad ſic contrahendum de iure inhabiles eſſe, & inſuper eos, qui tot iuris communis, & ſacri Tridentini, ac huius Concilij decretis contrauenire, & ad longius tempus bona Eccleſiæ locare præſumpſerint, excommunicationem ipſo facto incurrere: laicos verò, qui ſic cum clericis contrahunt, non facere fructus rerum conductarum ſuos, & ad eorum reſtitutionem obligari, eadem Synodus declarat & decernit.

CAP. V.

d. art. 23. VENDITIONES verò granorum, & aliarum rerum, quæ viliſsimo pretio fiunt ob anticipatas ſolutiones, ſiue pro vna tantùm vice, ſiue ad plures annos contractus ineatur, tanquam vſuram ſapientes plane interdicit, clericiſque vendentibus pœnam ſuſpenſionis imponit. Contra ementes autem ſiue clerici ſint, ſiue laici, tanquam contra vſurarios procedatur.

CAP.

CAP. VI.

TERMINVS verò ordinarius locationis domorum & terrarum arabilium ſit nouem annorum;pro pratis ſex, pro decimis trium,ſi tamen ſeorſim à terris arabilibus elocentur: nec reuocari poſsit contractus locationis terrarum arabilium, niſi finito ſexennio prioris contractus, quoad prata verò quadriennio, & quoad decimas biennio, alioquin contractus ſint irriti, & qui eos fecerint clerici per Epiſcopos puniantur. *ed. reg. art 24.*

CAP. VII.

PRO conſeruatione deinceps bonorum ad eccleſias parochiales & Capellanias pertinentium,iubet Synodus vt ſinguli parochi & capellani inuentarium eorũdem faciant, illudque ſubſignent, nec non à Maiore & ſcabinis etiam ſuæ parochiæ ſubſignari curent, & Ordinarijs tranſmittant,qui Ordinarij regiſtrum in quo ſingula inuẽtaria huiuſmodi deſcribantur,confici mandent,ipſaque inuentaria originalia & authentica in archiuium aliquod reponant, & ad poſteritatis memoriam diligenter aſſeruent.

CAP. VIII.

DICTI verò parochi & capellani bona beneficiorum ſuorum, non niſi tribus proclamatio- *ed. reg. art. 25.*

nibus factis, relicta cuilibet fac- rendi, elocare poſsint.

CAP. IX.

Con. Trid. Seſſ 22. de refor. c. 9. ed. reg. ar. 13. & 14.

FABRICARVM verò eccleſiarum tam parochialium quam collegiatarum, necnõ omnium piorum locorum computus Ordinarij in ſingulos annos per ſeipſos aut aliquem ſeu aliquos ſpecialiter ab eis deputatos (ſine præiudicio eorum, qui hactenus dictorum bonorum adminiſtrationem habuerint) audire non omittant, & diligenter proſpiciant, ne quod pijs locis pro Dei cultu donatum & relictum eſt, in prophanos & multò minus impios & ſacrilegos vſus conuertatur.

CAP. X.

POSTREMO, quia contra occupatores quorumcunque bonorum & iurium eccleſiæ non poteſt neque grauius neque conuenientius decretum concipi, quàm fuit editum à ſanctiſsimis patribus Tridentini Concilij ſeſſ. 22. cap. 11. Illud hæc Synodus de verbo ad verbum inſerendum, & per paſtores ac concionatores ſubinde populo inculcandum cenſuit, vt ſequitur.

[illegible]rum, vel laicorum quacunque is dignitate [illegible] aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupauerit, vt alicuius eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſecularis, vel regularis beneficij, montium Pietatis, aliorumque piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque obuentiones, quæ in miniſtrorum & pauperum neceſsitates cõuerti debent per ſe vel alios, vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum aut laicorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito colore in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit, ſeu impedire ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu ſubiaceat, quamdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus, & reditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocũque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ peruenerint, eccleſiæ, eiuſque adminiſtratori ſiue beneficiato integrè reſtituerit; ac deinde à Romano Põtifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi eiuſdem eccleſiæ patronus fuerit; etiam iure patronatus vltra prædictas pœnas, eo ipſo priuatus exiſtat. Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vſurpationis huiuſmodi fabricator, ſeu cõſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubiaceat; necnõ quibuſcunque beneficijs priuatus ſit, & ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur; & à ſuorum ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem & abſolutionem, ſui Ordinarij arbitrio ſuſpendatur.

CAP. XI.

ET quia dictum decretum eos non tangit, qui licet ipſi non detineant titulos, litteras, chartas inſtrumenta, & munimenta, ad eccleſias aut beneficiatos pertinentia, ſciunt tamen ab ijs prædicta detineri, in eos ſi poſt trinam monitionẽ præmiſſam ijs quos negotium concernit non denunciauerint, ſimilis excommunicatio decernatur.

CAP. XII.

ADMINISTRATORES piorum locorum,& eorũ ſuperintendentes,ſiue ſint clerici,ſiue laici pias fundationes ad certos vſus,propria auctoritate ad alios vſus etiam pios cõuertere non præſumant, ſed ad Epiſcopos, &, ſi opus fuerit,ad ſanctam ſedem Apoſtolicam,cùm cauſa occurret, recurratur.

CAP. XIII.

PIORVM etiam locorũ bona, ne pro adminiſtratorum arbitrio elocentur, ſed publicé locanda proponantur,ne vina,quæ vocant, ab ijſdem adminiſtratoribus accipiantur, ſed proclamationibus præhabitis,pro maiore eorundem piorum locorum vtilitate publicè elocentur, nec prandia fiant ſumptibus ipſarum fundationũ, niſi quæ à fundatoribus ſunt inſtituta.

ed.reg art 25.

CAP. XIIII.

IN hoſpitalibus,pijſque diuerſorijs,vbi hoſpitalites exercetur, mares cum fœminis, etiã prætextu matrimonij verſari ne permittantur, neue ea loca, quæ pauperum & peregrinorum ſubſido ſunt addicta,aleatoribus,hiſtrionibus, atque id genus nebulonibus pateant.

CAP.

CAP. XV.

VT autem hæc & cætera omnia quæ Tridentina Synodus de hoſpitalibus & alijs pijs locis ſtatuit facilius Epiſcopi præſtare poſsint, præcipitur parochis vt diligenter ſingula quæ in parochijs ſuis ſunt hoſpitalia, & pia loca obſeruēt, & ſicubi hoſpitalitas non exercetur, aut alij abuſus culpa adminiſtratorum, ſeu aliorum quorumcunque irrepſerint, de ijs Ordinarios reddant certiores.

CAP. XVI.

NON eſt etiam ferendus abuſus qui paſsim cernitur circa teſtamentorum, maximè ad pias cauſas executionem; quo ſæpenumero fit vt defunctorum extrema voluntas ſuum non ſortiatur effectum, & quæ in pios vſus erant inſumenda, in alios iniuſtè expendantur. Quare præcipit ſancta Synodus omnibus parochis, vt diligenter eos, qui intra limites ſuæ parochiæ executores ſunt eiuſmodi piarum voluntatū, moneant ſui officij: quod ſi poſt annum negligentes ſint, ad ordinarios referant, qui eos etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellant, capitula etiam tam cathedralium quàm aliarum eccleſiarum, ſi in prædictis defecerint, ab ordinarijs eorum negligentia ſuppleatur.

TIT. XVI.

DE CLERICIS IN GENERE.

CAPVT PRIMVM.

c.Cleros. diſt.21. & c.duo ſunt 12.q.1.

c.Clerici officia de vita & honeſtate clericorũ. c. ſecundũ ne clerici vel monachi et c. decreuit diſt. 88.

MEMINERINT clerici omnes ſui nominis quo continuè admonētur ſe à mũdi curis ſequeſtratos, & in ſortem Domini vocatos eſſe: meminerint etiam maximè præsbiteri dignitatis ſuæ, nec ſe vilibus & ſacerdotio indignis officijs mancipēt aut addicant, vtpote negotiationi ſeu mercimonio, conductioni, & culturæ alienorum agrorum quæſtus faciendi cauſa, famulatui ſeruili Dominorum aut Dominarum ſecularium,& ſimilibus parum decôris,ac ſtatui eccleſiaſtico minimè conuenientibus.

CAP. II.

c.1.& 2. & c.ſignificaſti de foro compet.c. inolita.c.placuit,& per totum. 11. q.1.

CVM iure antiquorum conciliorum ſacris canonibus ſæpius innouato conſtitutum ſit, ne clerici cum iudicibus laicis ſe ſiſtant, aut alterius iudicis quàm eccleſiaſtici (idque ſui ordinarij accedente conſenſu) iuriſdictionem prorogent, ſacra hæc Synodus ſub pœna excommunica-

ſententiæ (à qua nemo præter-
pe ordinarius abſoluere poſsit) interdicit omnibus in ſacro ordine conſtitutis ne vnquam fideiubeant, aut aliàs ſe obligent, aut contrahant cum renunciatione priuilegij clericalis, & ſi ſecus fecerint, fideiuſsiones & inde ſequuta nullius ſint momenti. Sed neque ſe mutuo conueniant coram laicis iudicibus actione perſonali, ſub eadem pœna excommunicationis latæ ſententiæ contra actorem, quam ipſe reus loco ſuæ exceptionis ante litis conteſtationem allegare poſsit & debeat.

CAP. III.

TABERNAS niſi peregrè proficiſcentes nullo prætextu intrent; vt ibidem potationibus indulgeant: ab aleæ quibuſuis luſibus omninò abſtineant, necnon à choreis tam publicis quàm priuatis, nec chirurgicam, nec medicam artem ex profeſſo ad quæſtum exerceant.

c. Clerici. 44. diſt. c. à crapula & ſeq. de vita & honeſtate clericorũ.

CAP. IIII.

BARBAM ne alatam vel militum more nutriant, & ita omninò à labro ſuperiore præſcindatur (maximè in ſacerdotibus) vt ſacram communionem nôn impediat.

CAP.

CAP. V.

d.c.clerici officia de vita & honeſtate clericorũ.

TONSVRAM clericalem pro qualitate gradus & ordinis ſui ſemper conſpicuam habeant: omnes verò qui in ſacris ordinibus ſunt conſtituti, vel beneficium eccleſiaſticum habẽt, præter tonſuram, etiam habitum clericalem deferãt. Si moniti ferre noluerint, illi quidem ab executione ſuorum ordinum arbitrio Ordinarij ſuſpendantur, hi verò etiam fructus ſuorum beneficiorum amittant.

CAP. VI.

d.c.clerici officia.

VESTIBVS decentis coloris, non diſſectis, nõ etiam ſuperfluo cultu ornatis omnes vtantur. Collaria verò induſiorum eiuſmodi habeant quæ modeſtiam clericalem ſapiant, clericoſque à ſecularibus, & maximè mundanis hominibus appertè diſtinguant. Proinde omnibus in vniuerſum clericis deinceps induſia ſiue ad collum ſiue ad manus criſpata hæc Synodus interdicit.

CAP. VII.

d.c.clerici officia.

NVLLI in ſacris ordinibus conſtituto annulum aureum aut argenteum geſtare liceat, niſi ijs quibus propter gradum, aut eccleſiaſticam dignitatem, vel eximiam nobilitatem hoc competit,

.. dum ſacrificium miſſæ celebrāt ...is exceptis) eundem deponant.

CAP. VIII.

Ex vna diœceſi ad aliam non tranſeant ſine conſenſu, & litteris commendatitijs ſui ordinarij, nec in aliquibus eccleſijs virtute ſolius admiſsionis quorundam laicorum admittantur etiam vicarij ſeu cantores, ſed vt minimum admiſsionem ſuam Paſtori loci exhibere teneantur, priuſquam officium ſuum exerceant. *c. nō oportet de cōſ. diſt. 5.*

CAP. IX.

Contra concubinarios & ebrioſos, ſi qui ſint, quod abſit, iuxta decreta Concilij Tridentini, & primi prouincialis Cameracenſis omninò procedatur. *Seſſ. 25. c. 14. de refor. tit. de vita & honeſtate cler. cap. 3.*

CAP. X.

Beneficiati, qui horarum canonicarum lectionem contemnunt, aut negligenter omittunt, ſe fructus ſuos non facere, in ordinibus verò ſacris conſtituti, etiam beneficium eccleſiaſticum non habentes, ſe grauiter peccare intelligant, iuxta conſtitutionem Pij quinti ad finem horum decretorum adiectam.

TIT. XVII.
DE EPISCOPIS.

CAPVT PRIMVM.

EPISCOPI vt alios omnes dignitate antecellũt, ita ſtudioſè prouideant ne à quoquam virtute ſuperentur, aſsiduè memores ſe in ſpecula Domini conſtitutos, tum vt in ea cõtinuè vigilent, quaſi rationem pro animabus ſibi commiſsis aliquãdo reddituri, tum verò vt ex ea aliorum omnium vitam & mores contemplentur, & ſi quid vitioſum animaduerterint, verbo & exemplo corrigant & reforment, ideoque quęcunque in alijs optant & probant virtutum officia, ea in ſeipſis primum exprimere omni ſtudio adnitãtur, præſertim verò in ſubuẽtionis pauperum, viſitationis & conſolationis infirmorũ, aliorumque deſolatorum pijs charitatis officijs ſeſe exerceant.

CAP. II.

ET quia inter munia Epiſcopalia potiſsimas partes ſibi meritò vẽdicat prædicatio verbi Dei,
act.cap.6. & ab Apoſtolis memoriæ proditum ſit, non eſſe æquum ipſos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis, quantum fieri poterit, diligentiam adhi-

bunt Epiſcopi, vt negocijs ſecularibus ſeſe expediant, etiã regiminis Epiſcopalis maximam partem doctis & prudentibus viris committendo, & rerum temporalium adminiſtrationem Oeconomo fideli concredendo, vt prædicationis officio ſibi proprio liberius vacare poſsint. Quod ſi legitimè impediti per ſeipſos id præſtare non poſsint, alios viros Doctos, tum in ſuis Eccleſijs Cathedralibus, tum in alijs ſuæ diœceſis deputent, qui eorundem nomine hoc aſsiduè præſtent, ſaltem quoad dictas Cathedrales ſolennioribus feſtis, & tempore aduentus & quadrageſimæ, vt minimum ter in ſeptimana; horam autem cùm ipſemet Epiſcopus concionatur ſibi commodiorem præſcribere poſsit, non obſtantibus quibuſcunque.

Con. Trid. ſeſſ. 5. c 2. ſeſſ. 24. c. 4 reform. c. inter cætera de off. ord.

CAP. III.

DECRETVM Cõcilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 1. de reform. ſæpe & ipſi legãt, & ſibi in menſa legi curent; In reliquis autem eiuſdem Concilij Tridentini decretis, & huius prouincialis ſæpius verſentur, & multò magis de eorundem executione & praxi per vniuerſam ſuam diœceſim ſeriò cogitent.

CAP. IIII.

FAMILIAM verò eiuſmodi habeant, quæ etiã cæteris propoſita ſit ad imitationem, cui ita

præſint,vt ex eo diligentia quam regenda adhibent,colligi poſsit.

CAP. V.

Con. Trid. ſeſſ. 24. c. 3. reform.

INTER cætera verò munia ſuæ Epiſcopalis dignitatis, viſitationis officiũ non negligat Epiſcopus, ſed ſingulis annis, ſi id commodè fieri poſsit,ſin minus biennió per ſe ipſum,niſi graui aliqua & legitima cauſa excuſetur, totam ſuam diœceſim viſitet, legitimè impeditus ad id munus exequendum viros idoneos deputet.

CAP. VI.

EPISCOPO de vita periclitante, Capitulum Eccleſiæ eius Cathedralis vicinum Epiſcopum inuitet, qui ſi nõ ſit neceſſariò impeditus ſtatim veniat,& ſi viuum Epiſcopum inuenerit, ei omnia charitatis officia impendat, quæ ad animæ ſalutem eo tempore requiruntur;mortuum verò vnà cum ſeculari & regulari clero ſolenni more ad ſepulchrum proſequatur.

CAP. VII.

IDEM capitulũ primo quoque tempore omnes prouinciales Epiſcopos de Epiſcopi morte faciat certiores, qui in eccleſijs Cathedralibus miſſam ſolenni ritu pro eius anima celebrandam curabunt, & publicis ſupplicationibus, & preci-

…ctis Deum rogabũt, vt orbato gre-
…torem dare velit iuxta cor ſuum.

CAP. VIII.

SIMILES ſupplicationes indici curabit idem capitulũ per vniuerſam diœceſim Epiſcopi defuncti ad eundem finem, iuxta decretum ſuper eare editum in primo Concilio Cameracenſi titulo de examine Epiſcoporum.

CAP. IX.

NOVO autem Epiſcopi electo aut nominato proceſſus ſuper eius doctrina & moribus Romã tranſmittendus fiat, iuxta diſpoſitionem eiuſdem decreti primi Concilij prouincialis.

TIT. XVIII.
DE CAPITVLIS ET CANONICIS.

CAPVT PRIMVM.

CAPITVLA Cathedralium & aliarum eccleſiarum à ſingulis qui virtute cuiuſcunque prouiſionis admitti petẽt ad poſſeſsionem quarumcũque dignitatũ, beneficiorum aut officiorum in eorum eccleſijs, teneantur exigere

fidei profeſsionem,iuxta decretum... di tit. de fidei profeſsione.

C A P. II.

MAGNA etiam diligentia inquirant num aliqua Symoniæ labes, aut alia illicita pactio interuenerit,præſertim quando eius rei aliqua ſuſpicio erit, antequam admittant recens prouiſum.

C A P. III.

DENIQVE exigant legitimam atteſtationem qualitatum quas ſingulæ dignitates aut beneficia ex fundatione, aut Indulto Apoſtolico requirunt.

C A P. IIII.

ſeſſ.21.cap 3.ſeſſ.22.c. 3.ſeſſ. 24. c.12. IN omnibus eccleſijs Cathedralibus & collegiatis diſtributiones fiant iuxta decretum Concilij Tridentini, quæ attingant tertiam partem fructuum, & tales ſint,vt veriſsimiliter non negligantur, & inter ſolos reſidentes, & actu præſentes in ſeruitio diuino diuidantur, niſi excu-
c. vn. de cler. non reſid. lib.6 ſentur cauſis expreſsis de Iure communi, videlicet ob infirmitatem ſeu iuſtam & rationabilem corporalem neceſsitatem, aut euidentem Eccleſiæ vtilitatem.

C A P. V.

DECLARAT autem Synodus euidentem Eccleſiæ vtilitatem intelligi quando Canonici, vel

js capituli,aut fabricæ ſuæ Eccleſiæ, vel in negotijs diœceſis cum Epiſcopo, vel ex eius commiſsione occupantur; fraude tamen & dolo ſecluſis.

CAP. VI.

SIMILITER eos,qui vel celebrãt,vel audiunt confeſsiones,ipſa hora qua hæc faciunt,pro præſentibus habendos eſſe, modò tamen ad principales horas iuxta Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ingreſſum fecerint,& miſſa ſua, aut confeſsionibus finitis,ſi nõdum ſit peractum officium chori,in ipſum redeant.

CAP. VII.

FAVORE verò ſtudiorum, eos qui ad docendum,vel in ipſis Eccleſijs Cathedralibus aut collegiatis, vel in vniuerſitatibus (quoad beneficia quæ in ipſis vniuerſitatibus poſsident)obligantur,ijs diebus,quibus actu docebunt,aut publicis diſputationibus intererunt, pro præſentibus habẽdos eſſe ſtatuit,modò duabus de maioribus horis in die interſint.

CAP. VIII.

PRÆDICATORES quoque verbi Dei,qui ad hoc munus ab Ordinarijs deputati erunt, quibus diebus concionabuntur, eodem priuilegio gaudeant.

CAP.

CAP. IX.

Seſſ.24. c. 12. PRÆTER dictas verò diſtrubutiones etiam amittant reliquos fructus ſuarum præbendarũ, iuxta decretum Concilij Tridentini, qui vltra tempus ibi definitum abſuerint.

CAP. X.

ABSENTES autem cùm habeantur qui extra ciuitatem ſunt, multò magis, qui cùm ſint in Ciuitate officio tamen diuino, ſaltem ſemel in die pro dictis fructibus lucrandis non interſunt.

CAP. XI.

CVM autem intelligat hæc Synodus fieri cõmodè non poſſe omnibus in locis vt diſtributiones actu ſiue re ipſa, omnibus diebus & horis perſoluãtur, permittit, vt à capitulo punctuator aliquis nominetur, qui præſtito fidelitatis iuramento, diligenter annotet eos, qui diuinis non intererũt officijs, eorumqve diſtributiones alijs præſentibus in ſingulas horas accreſcere faciat.

CAP. XII.

PASTVS omnes ac Iura receptionũ, ac etiam iucundorum, vt vocant, aduentuum quæ nõ in pios vſus conuertebãtur, Iuri communi, & dicti Concilij Tridentini decretis inhærendo, eadem Synodus impoſterum exigi planè interdicit. Seſſ.24. cap.14.

CAP.

CAP. XIII.

CONVIVIA verò quæ in quibuſdam eccleſijs non pro receptione, ſed ex onere certis dignitatibus aut præbendis ex fundatione, aut ab immemorabili tempore incumbente certis diebus ſolennibus celebrantur, non damnat; ſed ad minorem numerum & minores ſumptus Epiſcoporum iudicio reduci præcipit, & ita prouideri, vt in ijs neque ebrietates, neque alij committantur abuſus.

CAP. XIIII.

CANONICI ſacerdotes quotquot ſunt per ordinem celebrent ad maius altare, ſiue per ſeipſos, ſiue per alios canonicos ab eis ſubſtitutos, niſi aliquæ ſint præbendæ aut vicariæ, vel cappellaniæ ex fundatione, aut auctoritate Apoſtolica, vel ab immemorabili tempore miſsis in maiori altari celebrandis deſtinatæ.

CAP. XV.

QVI ſacerdotes non ſunt, diebus ſaltem ſolennioribus de manu ſacerdotis miſſam ſolennem celebrantis ſacram Euchariſtiam recipiant, ſalua cõſuetudine eorum locorum, vbi frequentior communio eſſe ſolet.

CAP. XVI.

Seſſ. 5. c. 1. reform.

LECTIO Theologica iuxta decretum dicti Cõcilij Tridentini in omnibus Cathedralibus & collegiatis inſignium oppidorum, vbi clerus eſt numeroſus omninò habeatur, prouideantque ſuperiores ne vacuum ſit auditorium.

CAP. XVII.

CANONICORVM congregationes pro eccleſiarum ſuarum negotijs, quæ capitula dici ſolent, hora competenti fiant, nec ſummæ miſſæ tempore vllo modo habeantur, niſi neceſſaria aliqua cauſa ſuperueniat quæ differri non poſſit, quo caſu, vt minimum mittantur aliqui canonici in chorum.

CAP. XVIII.

ITA verò in cantores, vicarios & capellanos Decanus & Canonici oculos intentos habeant, vt neque pſallendo neque confabulando, neque hac & illac ſæpius diſcurrendo alicui ſcandalo eſſe poſsint.

CAP. XIX.

IN reliquis ſeruent canonici decreta Concilij Tridentini & nouiſsimi prouincialis titulo de miniſterijs eccleſiaſticis.

TIT.

TIT. XIX.

DE PASTORIBVS.

CAPVT PRIMVM.

PASTORES ab Epiſcopis in partẽ ſollicitudinis vocantur, ideoq́ue hoc ipſis elaborandum eſt, vt Epiſcopis in ſuis functionibus eccleſiaſticis quàm diligẽtiſsimè cooperentur, populúmque ſibi commiſſum ita verbo & exemplo paſcãt, vt ipſi Epiſcopi re ipſa cognoſcant, ſe eorum vigilantia magna laborum ſuorum parte ſubleuari.

CAP. II.

VT autem hoc meliùs præſtare poſsint decreta ſacroſanctæ Synodi Tridẽtinæ, huius, & prioris prouincialis, necnon & diœceſanarum diligenter legant, & ea quæ paſsim in iiſdem ponuntur parochorum officium concernentia quàm diligentiſsimè exequantur.

CAP. III.

PAROCHVS in ſua admiſsione vnà cum iuramento hactenus conſueto in manibus Ordinariorum aut ab eis deputatorum fidei profeſsionem facere teneatur. *Con. Trid. Seſſ. 24. c. 12.*

CAP. IIII.

In omnibus locis vbi domus parochiales nõ ſunt, vel temporũ iniuria collapſæ ſunt, prouideat paſtor cum ſuis parochianis, vt quanto citius fieri poterit, aliqua domus, ipſique Eccleſiæ propinqua, & in fundo paſtoratus, ſi quis ſit ædificetur, quam, vbi ædifidata erit, ipſe paſtor iuxta ſuũ iuramentum ſartã tectam cõſeruare debeat.

CAP. V.

In collationibus parochialium eccleſiarum ſeruetur exactè Conſilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 18. reform.

CAP. VI.

Stvdiose obſeruẽt paſtores eos qui diebus Dominicis ac feſtis, vel omninò miſſam nõ audiunt, vel ad miſſam parochialem non conueniunt, ac primùm priuatim & paternè ſui officij commonefaciant; quod ſi poſt admonitiones non emendentur, ad Ordinarios deferant.

CAP. VII.

Mvltò magis eam diligentiam faciant, ſi quos reſcire poterunt, vel eſſe hæreticos, vel de hæreſi vehementer ſuſpectos.

CAP. VIII.

Cvrent omninò vt cuſtodes ſeu clerici qui eiſdem aſsiſtunt in officio diuino, tõſuram clericalem

per, habitum verò vt minimum in ipſis deferant, nec bigamum admittant, niſi viſa ſufficienti diſpenſatione.

CAP. IX.

QVAMVIS ſingulis diebus non teneantur parochi ad celebrãdum miſſæ ſacrificium, vt tamen ſatisfaciant deuotioni ſuorum parochianorũ, prouideant vt miſſas votiuas, quas vocant, vt feria ſecunda pro defunctis: feria quinta de venerabili ſacramento; Sabbato de beata virgine, & alias pro cuiuſque loci more vel ipſi celebrẽt, vel per alios præſbiteros celebrari curent, idque hora competenti & conſueta.

CAP. X.

PAROCHIANI autem pro hoc charitatis officio paſtori ſuo cõdignum honorarium præſtẽt, ſiue ex fundationibus ad hoc inſtitutis, ſiue vbi eæ deſunt, vel ſufficientes non ſunt, collectis ad hoc piorum eleemoſynis.

CAP. XI.

SI quas inimicitias aut rixas, præſertim inter coniuges, ac domeſticos eſſe cognouerint, eas ne diuturniores ſint, & ſcandaloſæ, omni ſtudio componere parochi adnitantur.

CAP. XII.

DECANI autem rurales, paro...
adeoque omnium, etiam ſacerdotum & clericorum, quin & laicorum ſuorū diſtrictuum mores diligenter obſeruent, potiſsimùm autem vt paſtores in prædicatione verbi Dei, ſacramentorumque adminiſtratione, ac in cæteris omnibus ſuo muneri ſatisfaciant.

CAP. XIII.

ECCLESIAS parochiales & capellas ac hoſpitalia, aliaque pia loca eorundem diſtrictuum quotannis vt minimum ſemel viſitent, & de eorum ſtatu, ac quàm rectè diuinum officium in eis peragatur; vtrúm ne miſsis, & alijs pijs fundationibus & oneribus ſatisfiat, ac de cæteris huc pertinentibus accuratè inquirant.

CAP. XIIII.

EXCESSVS verò & defectus (ſi quos repererint) quibus ipſi mederi nequeant, Epiſcopis locorumue Ordinarijs, ſeu eorū vicarijs quamprimum ſignificent.

CAP. XV.

PASTORVM ſuorum capitula generalia vt minimùm bis in anno, aut aliàs pro cuiuſque diœceſis more conuocent, ad quæ ſinguli parochi,

accuſatione ceſſante venire om-
cantur.

C A P. XVI.

In his de morum correctione, abuſuum reformatione, de decretorum ſacri Concilij Tridentini,& huius,priorisque prouincialis, nenon diœceſanarum Synodorum (quatenus eos, eorumque officium concernunt) & ſi quæ præterea ab Ordinarijs eis mandata erunt, executione tractetur; quæ omnia vt ab ijs quos contingunt exactè ſeruentur, ſeriò aduigilabunt dicti Decani.

C A P. XVII.

QVI etiam aut per ſe, aut per aliquem ex paſtoribus ab eis deſignatum exortationem habeant ad totam congregationem in eum finem, vt omnes de abuſibus aut negligentijs à poſtrema congregatione per eos obſeruatis ſincerè deponant.

C A P. XVIII.

PORRO vno menſe ante dicta capitula,ſinguli Decani ſignificent Epiſcopis,aut eorum vicarijs diem & locum dictorum capitulorum, vt, ſi eis expedire videbitur, vel aliquem ad ea mittant,vel ſcripto ſignificent quæ toti congregationi ſignificanda occurrent.

TIT. XX.

DE REGVLARIBVS MONIALIBVS.

CAPVT PRIMVM.

ABBATES & alij ſuperiores regulariũ in correctionibus eum modum teneant, vt nec diſciplinam ſine miſericordia, nec miſericordiam ſine diſciplina reliquiſſe videantur, ſed ſit in eis iuſtè couſulens miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina, cùm plus agat aliquando erga corrigendos clementia quàm nimia ſeueritas, plus admonitio quàm cõminatio, plus charitas quàm poteſtas.

Abbate aut Priore mortuo Epiſcopus per ſeipſum aut ſuum Vicarium accedens monaſteriũ, inuẽtarium faciat bonorum omnium maximè pretioſorum ipſius monaſterij, & aliquot eiuſdem religioſos Oeconomos cõſtituat, à quibus iuramentũ accipiat de nihil alienando ſine conſenſu ipſius, & fideliter adminiſtrando, vſquedũ de Prælato prouiſum fuerit. Similiter & officiarios quoad ſpiritualia prius adminiſtrationẽ habẽtes, vt pote Priorem & Confeſſarios & alios confirmet, & ſua ordinaria auctoritate adiuuet.

CAP.

CAP. II.

MVIS Prælati regularium pro ſuorum ſubditorum confeſsionibus audiendis confeſſarios deputare poſsint, id tamen non faciant, niſi præuio examine ſeu per ſe, ſeu per lectorẽ ſuum faciendo, & cum delectu eorum qui ad hoc munus maximè ſunt idonei.

CAP. III.

SACRA lectio Theologica vbique habeatur, ad quam omnes religioſi conueniant, exceptis ijs, qui propter adminiſtrationem rerum monaſterij ſibi commiſſam legitimé impediuntur, & pręter eam, etiam pro nouitijs lectio fiat pro eorum capacitate, vt ad ſacros ordines non niſi bene inſtructi in cæremonijs eccleſiaſticis, & rudimentis doctrinæ Chriſtianæ præſententur. *Con. Trid. Seſſ. 5. c. 1. reform.*

CAP. IIII.

MVLIERES intra ſepta monaſteriorum, ſeu locorum regularium, quæ ſunt clauſtrum, capitulum, dormitoriùm, refectoriùm ſiue cõuentus, & quæ eorundem ambitu continentur, ac ſi quæ alia pro ſtatutorum cuiuſque loci ratione pro regularibus locis habeantur, extra tempus ſupplicationum, ſeu proceſsionum, quocunque prætextu ne admittantur.

CAP. V.

QVAMVIS religioſi qui à ſuis prælati nantur ad paſtoratus ſuis monaſterijs ſubiectos ſeu incorporatos (quorum inſtitutio ad Epiſcopos aut Archidiaconos pertinet) adminiſtrandos, ob id non eximantur ab obedientia eorundem Prælatorum: tamen quià & Epiſcoporum à quibus dicti religioſi curam animarum accipiunt, & parochianorum intereſt, vt non temerè & ſine cauſa reuocentur decreto primi Concilij Cameracenſis cap. 6. de miniſterijs eccleſiaſticis inhærens hæc Synodus ſtatuit & decernit, vt non niſi ex cauſa legitima, quam ipſe Prælatus Epiſcopo exponere debeat, ad monaſteria poſsint reuocari. Cauſa autem expoſita Epiſcopus & reuocatum dimittere, & in eius locum præſentatum, ſi idoneus ſit, admittere teneatur.

Facit Con. Trid. Seſſ. 25. de reg. cap. 11.

CAP. VI.

QVÆ de officio diuino, de ſacramentis, de recta bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratione & aliàs in huius Synodi decretis hactenus conſtituta ſunt, quatenus eos tangere poſſunt, ea omnia tantò diligentiùs ſeruent, quantò ipſi ex ſua profeſsione ad perfectiorem vitam magis obligantur.

CAP.

CAP. VII.

MISSAS & alia pietatis officia ad quæ tenentur ex fundationibus diligenter & accuratè perſoluāt, ideoque liber in ſacriſtia ſẽper habeatur, in quo ea omnia in ſingulos dies deſcripta ſint.

CAP. VIII.

QVIA verò monaſticæ vitæ perfectio ex trium votorum, quæ omnes religioſi faciunt obſeruatione dependet, Prælati ea omnia quæ ad ipſorum votorum obſeruationem faciunt, curent ab omnibus inuiolabiliter obſeruari.

CAP. IX.

OMNES autem conſuetudines dictis votis contrarias, quales ſunt in pleriſque monaſterijs multæ cōtra votum paupertatis, planè abrogat, & impoſterum prohibet hæc Synodus; ideoque Prælatis omnibus vtriuſque ſexus præcipit vt communem victū & veſtitū omnibus religioſis æqualiter, prout cuique opus erit diſtribuant, nec pro veſtiario, aut pro vini portione ſingulis religioſis dari cōſueta vlla ratione pecuniam aſsignent, ſecretas compotationes planè prohibeant, & ſobrietatem indiuiduam caſtitatis comitem ab omnibus coli faciant, ideoque præter

ieiunia Eccleſiæ, etiam aduentus ... dinis ſui ieiunia exactiſsimè obſeruen[t].

CAP. X.

Episcopi, & alij ſanctimonialium ſuperiores earũ ſtatuta & regulas in ſuis viſitationibus diligenter examinent, & ſi quid in ijs iuri communi, aut Cõcilij Tridentini decretis repugnare animaduerterint, id abrogent aut corrigãt, noua etiam ſtatuta, ſi ita expedire iudicauerint, atque omninò viuendi formulã ad dicti Cõcilij Tridentini præſcriptum vernaculo ſermone cõceptam eiſdẽ tradãt, & diſtrictè obſeruari mandent.

CAP. XI.

Con. Trid. Seſſ. 25. de reg. cap. 5. cap. periculoſo de ſtatu. monachorum lib. 6.

Provideant etiam Epiſcopi quãtò citius fieri poterit, vt clauſura moniali ũ etiam exemptarum, vbi violata eſt, reſtituatur, etiam applicatis in eum finem, ſi monaſteriorũ facultates neceſſarios ſumptus non ferant reorum pœnis pecuniarijs; vbi verò hactenus inuiolata permanſit, quàm diligentiſsimè conſeruetur.

CAP. XII.

Ad eas verò nullus omninò aut viris aut mulieribus etiam illuſtribus, etiam in veſtitionum aut profeſsionũ ſolennitatibus pateat acceſſus, ſed

[illegible]um neceſsitas erit,colloquantur, exceptis tamen perſonis neceſſarijs, vtpote confeſſario (cùm ad ægrotantium monialium, quæ ad confeſsionale accedere non poſſunt, cõfeſsiones audiendas, aut ſanctiſsimum Euchariſtiæ vel extremæ vnctionis ſacramenta ipſis deferenda,& ſimilia charitatis officia ijſdem ægrotis impertienda erit admittendus) medico, chirurgo, baiulo vini aut ceruiſiæ, fabris & ſimilibus perſonis, quibus tamen non niſi in neceſsitate ingreſſus pateat, quos duæ antiquiores ſanctimoniales comitentur.

CAP. XIII.

PRÆFECTVS quoque eiuſmodi monialiũ, ſeu eius capellanus, aut alius ſacerdos eam Eccleſiæ partem vbi ipſæ pſallunt, ne quidem prætextu ibidem celebrandi, vel concionãdi ingrediatur. Quod ſi quis ibi celebrare aut cõcionari auſus fuerit, ſuſpenſionis à diuinis, & præfecta quæ eum admiſerit, excommunicationis pœnam ipſo facto incurrant.

CAP. XIIII.

SED nec ipſi Epiſcopi aut eorum vicarij,& alij ſuperiores monialiũ vnquã ingrediantur ſeptã clauſuræ,niſi viſitationis aut alia neceſſaria cauſa ſub pœnis contra ingredientes à Iure decretis.

CAP. XV.

NVLLVS ex ſupradictis aut alijs quibuſuis vnquam admittatur intra dicta ſepta, qui non in ſcriptis ſibi conceſſam ab Epiſcopo facultatem exhibuerit.

CAP. XVI.

QVIA verò non paucæ neque leues in pleriſque monaſterijs claudendis difficultates ſuboriuntur, ſupplex totius Synodi nomine libellus conficiatur, qui expreſsis omnibus & ſingulis incommodis difficultatibuſque, necnõ monialium clauſuram recuſantium rationibus & argumentis diligẽter expoſitis S.^mo Dnõ noſtro offeratur, rogeturque illius ſanctitas, vt huius prouinciæ neceſsitatibus & incõmodis pro ſua paterna charitate peculiari aliqua ratione prouidere ac ſuccurrere dignetur: habito autem ab illius Sanctitate reſponſo, & cum R.^mis Dominis Epiſcopis per litteras communicato, quæcunque ad hanc materiam pertinebunt, certius explicari poterunt. Interea verò in dictis monaſterijs quæ clauſuram non admittunt obſeruari curent Epiſcopi, vt nec viris nec mulieribus intra loca regularia dictorũ monaſteriorum pateat acceſſus.

CAP.

CAP. XVII.

..GIOSÆ verò etiam mendicantes, quæ ægrotorum ab immemorabili tempore, atque adeò ex fundatione curam agunt, ſolæ nunquã emittantur ad curandos ægrotos, nec iuniores quantùm fieri poteſt, ſed eæ quæ matris ſeu præfectæ iudicio probabuntur.

CAP. XVIII.

CONCIONATORES quoque deputent Epiſcopi viros pios & graues, qui ſæpius ipſas moniales ſpirituali verbi Dei cibo reficiant, tam publicis concionibus, quàm priuatis ad cancellos colloquijs.

CAP. XIX.

CONFESSARIOS ſimiliter aliquoties in anno extraordinarios mittant, quibus omnes ſanctimoniales ſe præſentare teneantur. *Con. Trid. Seſſ. 25. de regul. cap. 10.*

CAP. XX.

DECRETO Cõcilij Tridẽtini ca. 17. ſeſſ. 25. de regularibus & monialibus inhærẽs hæc Synodus, præcipit vt nulla puella ad habitũ regularem ſuſcipiendũ aut profeſsionem emittẽdam admittatur, etiam ſi monaſteriũ ſit exemptũ, priuſquã explo-

explorauerit Epiſcopus,áut ab e…
ellæ voluntatem, iuxta requiſita i…
to,ideoq́ue teneatur præfecta certiorem Epiſco-
pum facere vno menſe ante dictam habitus ſuſ-
ceptionem, aut profeſsionem ſub pœna ſuſpen-
ſionis ibi dem decretæ.

CAP. XXI.

AD profeſsionem verò dictæ puellæ niſi confirmatæ, & viri niſi confirmati & tonſurati non admittantur.

TIT. XXI.
DE SCHOLIS ET SEMINARIIS.

CAPVT PRIMVM.

IN Scholis nulli libri prælegantur, qui in Indice librorum prohibitorum cõtinentur, ſed nec ij, qui aliquid turpe aut obſcœnum continent.

CAP. II.

DICTÆ ſcholæ ſæpe viſitentur à ſcholaſticis Cathedraliũ & collegiatarum eccleſiarum, & ijs deficientibus à decanis ruralibus, qui Ordinarijs fideliter & diligenter referant, ſi quæ eorundem authoritatem deſiderare intellexerint.

CAP.

CAP. III.

QVIA verò ſcholæ quotidianæ Chriſtianæ iuuentutis inſtitutioni non ſufficiunt, cùm maxima puerorum pars diebus ferialibus opificium aliquod exerceat, neque ob parentum inopiam ſcholas frequentare poſsit, quorũ tamen animæ non minus, quàm aliorum, Chriſti ſanguine redemptæ Chriſtiana doctrina imbui debent; erigantur tam in omnibus vrbibus, quàm in pagis celebrioribus ſcholæ Dominicales, & ad earum faciliorem progreſſum inſtituantur auctoritate Epiſcoporũ, vbicũque id commodè fieri poterit Sodalitates doctrinæ Chriſtianæ, propoſitis ſingulis ſodalibus Indulgẽtijs iuxta bullã Pij quinti per fœl. record. Gregorium xiij. confirmatam & ampliatã, cuius tenor ad fœliciorem dictarũ ſcholarum dominicalium, & ſodalitatũ erectionem ad finem horum decretorum adiectus eſt.

CAP. IIII.

IN his locis vbi dictæ ſcholæ & Sodalitates commodè inſtitui non poterunt, parochus ipſe à prandio cõmodiore ante aut poſt veſperas hora, pueros campanæ pulſu conuocatos, ex paruo catechiſmo (qui ad hoc pro tota prouincia imprimetur) prima fidei rudimẽta doceat, eumque

ed.reg.art 15. memoriter ab ijs recitari faciat. Magiſtratus, balliui, maiores, ſeu alij lo[illegible] præfecti, tum ad dictas ſcholas, tum ad dictam parochi lectionem omninò compellant. Parentes etiam & heros non mittentes pueros ſuos ac miniſtros propoſitis pœnis coërceant, & rebelles etiam ſuis vrbibus aut pagis expellant.

CAP. V.

Si quis autem Parochus non legitimè impeditus hoc tam neceſſarium officium, quod etiã *Seſſ, 24. c. 4.* ex Concilij Tridentini decreto præſtare debet prætermiſerit, is toties vnius floreni mulctã fabricæ ſuæ Eccleſiæ applicandam incurrat, quoties hoc neglexerit.

CAP. VI.

Seſſ. 23. c. 18. Vt autem ipſi etiã parocho ſuccurratur, omnibus ſacerdotibus, & clericis, qui intra fines parochiæ degunt, præcipit hæc Synodus vt eum in hoc ſancto docendi munere pro ſua quiſque virili adiuuent.

CAP. VII.

Porro quoad ſeminaria clericorum iuxta ſacroſancti Cõcilij Tridentini ſaluberrimum decretum inſtituenda, cùm experientia in hac prouincia docuerit modicum fructum ex hactenus inſti-

prouenire,neque impoſterum, ſaltem pro præſēti Eccleſiæ neceſſitate expectari poſſe; hāc rationem quam toti prouinciæ vtiliſsimam fore confidit, hæc Synodus ineundam duxit: Nempe vt in vniuerſitate ſtudij generalis oppidi Duacenſis eiuſdem prouinciæ vnum pro tota prouincia cōmunibus ſumptibus Archiepiſcopi,& ſuorum coëpiſcoporum, aliorumque omnium, qui pro ſeminarijs contribuere debent, comparato ad hoc loco amplo & commodo erigatur: ad quod Archiepiſcopus cum duobus à capitulo & totidem à clero ſuę Ciuitatis vt minimum viginti ex ſua diœceſi: ſinguli autem Epiſcopi cum ſimilibus reſpectiuè deputatis, vt minimum duodecim ſtudioſos mittere teneantur, ſaluo quòd ipſe Archiepiſcopus, durāte hac rerum ómnium caritate, & eccleſiarum inopia admittere poterit iuſtas & legitimas Epiſcoporū cum dictis deputatis excuſationes pro minori numero mittendo ad certū tempus, quæ etiam caritate & inopia ceſſante maiorem poterit numerum definire, & præſcribere.

CAP. VIII.

PRO fœlici autem dicti Seminarij inchoatione, & fœliciore progreſſu eadem Synodus decernit quæ ſequuntur.

Imprimis ſeminarium ipſum vni [illegible] Præſidenti committatur, qui per Archiepiſcopu de conſenſu ſeu conſilio ſuorum Coëpiſcoporum eligatur & nominetur, ſitque ſacerdos ſacræ Theol. aut decretorum Doctor aut Licentiatus, bonus Oeconomus, qui promittat in ſua receptione, ſe ad minus triennio illi regimini præfuturum & ſingulis annis ſuæ adminiſtrationis computus fideliter redditurum ad certã diem, ad quam comparebunt in dicto ſeminario pro dictis computibus audiendis Epiſcopi per ſe vel ſuos deputatos, & deputati à Capitulis & clero ſuarum Ciuitatum, aut eorum aliqui ſumptibus illorum à quibus reſpectiuè mittentur.

CAP. IX.

DICTVS Præſidens habeat in ſingulos annos vltra victum ſuum, qui ipſi cum ſtudioſis erit communis, ſummam ducentorum florenorũ.

CAP. X.

STVDIOSI ſint omnes viginti annorum pietate & eruditione commendabiles, & habito delectu ingeniorum & doctrinæ ad ſeminariũ per concurſum à ſingulis Epiſcopis in ſuis diœceſibus cum dictis Capituli & Cleri deputatis, aut eorundem ſubſtitutis celebrandum aſſumãtur, & pauperum filij ac commendati à cõtribuentibus

ſeminario cæteris paribus alijs præfe-
... , ſintque ex legitimo matrimonio nati, non claudi, non in manibus, aut alia corporis parte notabilem defectũ habentes. Quod ſi aliqui ſint qui integram burſam cõtribuant, habebunt ius præſentandi idoneum ſine concurſu.

CAP. XI.

SINT burſæ omnes duodecim librarum groſſorum pro victu ſingulorum ſtudioſorum; veſtiantur autem ſumptu parentum, & mœcænatum eodem habitu, ac nigri coloris, nempe veſte exteriore ad talos vſque, interiore verò ad genua propendente, & pileo clericali.

CAP. XII.

INCEDANT bini ſequente vno ex præfectis, cùm ad ſcholas & templum gradientur.

CAP. XIII.

DOCEANTVR præter Theologicas lectiones cantum Gregorianum, computum eccleſiaſticum, & cæremonias Eccleſiæ; & præterea in concionibus tum inter ſe domi, tum ad populũ habendis diligẽter exerceantur. Diſputationes domeſticas aliquo ex præfectis præſidente ſingulis ſeptimanis habeant, quo pia quadam æmulatione ad ſtudium inflammentur.

CAP. XIIII.

De cætero quamdiu in ipſo ſeminario erunt, legibus & ſtatutis eiuſdem, quæ ab Epiſcopis præſcribentur viuant,& ſi diſcoli ſint, ab eiſdem Epiſcopis eijciantur.

CAP. XV.

Cvm ad eam ætatem peruenerint qua fieri poterunt ſubdiaconi mittãtur ad eum ordinem ſuſcipiendum,in quo per annũ miniſtrent, quo finito ordinentur Diaconi,& in eo ſimiliter miniſtrent,quoad fieri poterunt ſacerdotes.

CAP. XVI.

Cvrsvm autẽ ſtudiorũ ſuorũ in dicto ſeminario ſpatio quatuor annorũ abſoluãt,niſi videantur eſſe eius expectationis,vt ad aliquẽ gradũ, maximè ſi Mecœnates habeant,promoueantur.

CAP. XVII.

Singvli autem ſtudioſorum in ſua ad dictum ſeminarium aſſumptione iurent ſe cùm idonei inuenientur, id muneris in Eccleſia Dei ſubituros,quod ſuus Epiſcopus illis iniungẽdũ exiſtimauerit, alioquin refundẽt ſumptus quos fecerint in ſeminario, pro quo dabũt fideiuſſores, promittentque cùm ad pinguiorem fortunam deuenerint, ſe memores futuros accepti beneficij, & in communem eiuſdem ſeminarij vtilitatem aliquid liberaliter elargituros.

CAP. XVIII.

I autem prouideatur de ſumptibus ad ſupradicta, necnon ad ſtudioſorum alimoniam neceſſarijs, ſinguli Epiſcopi cum dictis ſuis deputatis quamprimùm fieri poterit portionem aliquã ex omnibus beneficijs (vbi hactenus detracta non eſt) detrahant, quæ in ſolos vſus ſeminarij conuertatur, quæ portio diminuetur ad ratam, aut in totum ceſſabit, accedente beneficiorum vnione, & incorporatione, iuxta prædictum decretum Concilij Tridentini.

TIT. XXII.

DE FORO IVRISDICTIONE ET IMMVNITATE ECCLESIASTICIS.

CAPVT PRIMVM.

VT in foro eccleſiaſtico quàm minimis fieri poterit ſumptibus & partiũ incõmodis cauſæ agantur, & quàm breuiſsimo tempore finiantur, nec clerici occaſionem accipiant quocunque prætextu ſeſe mutuo ad iudicia ſecularia contra canonũ diſpoſitionem pertrahẽdi, præter ea quæ in priore Synodo prouinciali eum in finem edita fuerunt decreta, ſancta hæc Synodus ſtatuenda duxit quæ ſequũtur. *Tit. de poteſt. ac Iuriſd. eccle.*

Impri-

Imprimis Epiſcopi primo quoqu[illegible] definiant atque præſcribant certam taxam pro ſalarijs, & ſtipendijs ſingulorum practicorũ ſuæ curiæ, quam ipſe iudex in taxando omninò ſequi teneatur, neque practici ipſi amplius exigere poſsint.

CAP. II.

CAVSAS omnes verbales, quæ ſine ſcripto expediri poſſunt, iudices ſummariè & de plano expediant, nec permittant eas in ſcriptis agitari, etiam conſentientibus partibus aut practicis, & vnicam tantum dilationem ad probandum, aut ad ſummum duas in ijs cauſis concedant.

CAP. III.

IN ijs cauſis quæ ſcripto tractantur, ſimul atque ad libellum actoris reſpondit Reus, illeque replicæ, hic duplicæ ſcripturã exhibuit, proceſſus ad manus iudicis deferatur, vt ſentẽtiã ſuam vel definitiuam vel interlocutoriam ferat, nec antea vnquam liceat plures exhibere ſcripturas.

CAP. IIII.

IVDEX autem poſtquam ipſi exhibitus fuerit proceſſus, quantò citiùs fieri poterit eum viſitet & decidat, maximè ſi ſint cauſæ matrimoniales, beneficiales, alimentorum, dotis, correctionis, & aliæ

quæ accelerationem requirunt, in quibus etiam cauſis alimentorum, incarceratorum & ſimilibus, de triduo in triduum procedatur, & dilationes præſcindātur & abbreuientur.

C A P. V.

SCRIBÆ ſeu notarij cauſarum ab omnibus ſuperfluis abſtineant, ideoque nec dies feſtos ad ſubſtantiam rei non neceſſarios apponant, nec dignitates iudicium, vel litigatorum, vel procuratorū ſæpius repetant, nec tenorem totum eiuſdem inſtrumēti, citationis & cuiuſcūque ſcripturæ vnquam reiterent, ſed ſi tenore ſemel inſerto, eius alibi mentio facienda ſit, fiat remiſsiuè, nec proceſsibus aut actis curiæ pluſquam vna cōtinuatio cauſæ in ſingulis terminis ordinarijs inſeratur, & ſi inſertæ fuerint plures, non veniant in taxam.

C A P. VI.

DENIQVE etiam commiſſarij ad quos pertinet ſcribere teſtium depoſitiones, aut extracta quæcunque proceſsibus in ſerenda, abſtineant à ſuperfluis præambulis, longiſque & inutilibus præfationibus, ac etiam concluſionibus, & alijs omnibus quæ ad principale negotium non pertinent.

CAP. VII.

CAVSÆ omnes infra biennium à die motæ litis terminentur, alioquin poſt id ſpatium, liberum ſit partibus, vel alteri illarum iudices ſuperiores, aliàs tamen competentes adire, qui cauſas in eo ſtatu quo fuerint aſſumant, & quamprimùm terminari curent iuxta Concilij Tridentini decretum ſeſſ.24.càp.20.

CAP. VIII.

DECRETA verò quæ ibidem ſubijciuntur cauſas appellationis concernentia à metropolitano ſeu eius Vicarijs aut officialibus exactè ſeruentur, prout reliqua omnia quæ eos tangunt, ne comprouincialium Epiſcoporum Iuriſdictio turbetur, aut impediatur.

CAP. IX.

IN cauſis verò beneficialibus, quæ coram iudicibus eccleſiaſticis in petitorio agitantur, poſt primam ſententiam, etiam ſi appellatum erit, fructuum perceptio victori ſub cautione tribuatur, aut ſaltē apud tertiam perſonā ſequeſtrētur

CAP. X.

PORRO ad compeſcendas friuolas appellationes, ſacra hæc Synodus iudicibus appellationum præcipit, vt pro qualitate cauſæ, & modo culpæ

...os deprehēdent male ſeu friuolè ac perperam appellaſſe in aliquam pœnā pecuniariam arbitrio ſuo pijs vſibus applicandam cōdemnet.

CAP. XI.

QVOD ſi de grauamine agatur, quod per appellationem à difinitiua reparari nequeat, quale eſt grauamen indebitæ carcerationis cùm appellare liceat, appellationi omnino deferatur, nec prohibeatur quominus acta cauſæ ad iudicem appellationis deferantur, interea verò is, cuius cauſa agitur, in carcere permaneat, quoad cognita cauſa iudex ad quem aliter decreuerit.

CAP. XII.

CVM varijs modis contingat turbari aut impediri iuriſdictionem eccleſiaſticam per iudices laicos, ſupplicetur ex parte huius ſacræ Synodi Regiæ maieſtati, vt vtriuſque fori & eccleſiaſtici & ciuilis indemnitati, & iudicum omnium quieti, & ſecuritati conſulens, quòd ſuum cuique eſt tribuere, & ne ſe inuicem turbent, aut impediant, ſua auctoritate Regia prouidere dignetur. Imprimis verò, quod indigniſsimum eſt, ne in ipſas perſonas eccleſiaſticas aliquid Iuris aut de eorundem exceſsibus cognitionis iudices laici vſurpent, aut prætendant, nec eoſdem coram ſe pro actionibus perſonalibus etiam

Vid. ed. reg art. 16. & ſequen.

etiam ciuilibus pertrahāt, ſiue ſint ſec
rici, ſiue capitula aut monaſteria dictis iudicibus eccleſiaſticis ſubiecta. Ne Epiſcopos aut eorundem officiales vllo pacto impediant, quin clericos ſibi ſubiectos criminoſos liberè capere ſeu appræhendere & incarcerare, & prout ſacri canones dictauerint, pro modo culpæ eos punire poſsint.

CAP. XIII.

QVOD ſi ipſi Epiſcopi, aut alij iudices eccleſiaſtici petant auxilium iudicum laicorum ad dictam appræhēſionem in locis Iuriſdictionis eorundem faciendam, ne exigant viſionem informationis præparatoriæ, aut ipſi de cauſa appræhenſionis cognoſcant, ne cum ipſi iudices eccleſiaſtici aliquos citauerint, qui ſe prætendant exemptos, dummodo notorie tales non ſint, laici iudices cognitionem declinatoriæ exceptionis coram iudicibus eccleſiaſticis propoſitæ, eiſdem inhibeant, aut eam ſibi vſurpent, contra apertiſſimam vtriuſque iuris diſpoſitionem, qua cautum eſt, vt qui ad aliquod iudicium euocatus, ſe aliquo priuiligio eximere vult, teneatur nihilominus comparere, & ibidem dictum ſuum priuilegium allegare, & de eo fidem facere.

CAP.

CAP. XIIII.

Ne dicti iudices laici iudicibus eccleſiaſticis præcipere audeant, vt reuocent ſuas ſententias ſuſpenſionis à diuinis, aut excomunicationis, aut alia decreta per ipſos lata, & ne eo prætextu arreſtare præſumāt bona temporalia dictorum iudicum eccleſiaſticorum, quin potius, ſi dictos iudices eccleſiaſticos prætēdant excisſiſſe in ſuis ſententijs aut decretis, ad Epiſcopos, aut eorundem ſuperiores, ij quorum intereſt, recurrant.

CAP. XV.

Ipsas verò ſententias iudicum eccleſiaſticorum, cum requiſiti fuerint, ſine noua cauſæ cognitione exequantur per captionem pignorum, & aliàs, maximè cùm hodie Cōcilium Tridentinū vetet, ne frequens ſit vſus excōmunicationis, & quandocūque executio realis, aut perſonalis fieri poteſt à cēſuris eccleſiaſticis abſtineatur. *ſeſſ. 25. c. 3. reforma.*

CAP. XVI.

Nullam etiam moueant difficultatē in executione vltimarum voluntatum ipſorum clericorum, ſed penes Epiſcopos, ſeu alios iudices eccleſiaſticos ſit libera facultas cogendi executores dictorum teſtamentorum, etiam laicos ad reddendum ſuos computus, & pia legata, aut fundationes executioni demandandum.

CAP. XVII.

VT etiam Magiſtratus & Præfecti ſeculares nõ cogãt clericos, maximè in ſacris ordinibus conſtitutos, qui Chriſto militare debent, ad excubias diurnas aut nocturnas, nec eorundem bona ſine conſenſu ordinum eccleſiaſticorum ad aliquas contributiones obligare, & taxare præſumant, in graue detrimentum animarum ſuarũ, & immunitatis eccleſiaſticæ præiudicium.

CAP. XVIII.

POSTREMÒ, vt omnes iudices Regij, ac magiſtratus omnibus modis iuuent Epiſcopos, & eorundem vicarios ad executionem omnium & ſingulorum decretorum ſacroſancti Concilij Tridentini.

TIT. XXIII.
DE VSVRIS.

CAPVT PRIMVM.

EOs qui cum publicis vſurarijs vtpote excommunicatis communicant in diuinis, excõmunicationem maiorem incurrere Synodus declarat; Ideoque parochis omnibus diſtrictè præcipit, vt ne quidẽ

in

...culo mortis ipſis vſurarijs (niſi de reſtituendis per vſuras iniuſtè acquiſitis cautionem dederint) eccleſiæ ſacramenta adminiſtrent, eóſque ab ingreſſu Eccleſiæ prohibeant.

CAP. II.

QVI verò in alijs quàm in diuinis cũ vſurarijs communicant, excõmunicationem minoré incurrũt, niſi ob cauſas à iure expreſſas excuſétur.

CAP. III.

EISDEM tamé parochis inhibet hæc Synodus ſub pœna maioris excommunicationis ne cum ijſdé vſurarijs quocunque modo conuerſentur, niſi vt pro negocijs ſuæ ſalutis eos cohortentur.

CAP. IIII.

QVOTIES autem ex mutuo aliquid præter ſortem exigitur vel accipitur, cuiuſcunque generis illud ſit, modo pecunia æſtimari poſsit, vſura committitur, ideoque tutores & curatores pupillorum & pupillarum etiam magiſtratus, qui pleriſque in locis patrimonij eorundem augendi cauſà ſeu quouis alio prætextu pecunias eorum ſub certo lucro ſingulis annis vltra ſortem *ed. reg. ar. 21.* recipiendo mutuo dare ſolent, retenta facultate repetendæ ſortis, vbi ad maiorem ætatem pupilli vel pupillæ peruenerint, aut matrimonium contraxerint, aut alios ad dictorum tutorum

ſeu

ſeu curatorum arbitrium & volũtatem v.. committere, declarat hæc Synodus, & præcipit, vt contra eos tanquam vſurarios, ſi poſt publicationem decretorum huius Concilij moniti, huiuſmodi contractus non mutauerint, procedatur.

TIT. XXIIII.

DE SYNODO PROVINCIALI ET DIŒCESANA.

CAPVT PRIMVM.

Seſſ.24. c.2.

CVM ſacroſancta Tridentina Synodus prouincialia Concilia quolibet triennio haberi voluerit poſt octauam Paſchæ reſurectionis Domini, ſeu alio commodiori tempore pro more prouinciæ hæc Synodus proximo concilio prouinciali, neque certum diem, neque certum locum cõmodè præfigere poteſt, ſed hoc metropolitani, ad quem dictorum Cõciliorum cõuocatio pertinet arbitrio relinquit, qui pro commoditate locorum & temporum conuocationem facere poterit, quando ipſi magis expedire videbitur.

CAP.

CAP. II.

CONVOCATIONE autem per metropolitanum facta, die & loco per eundẽ præfixis comparere teneantur, primùm omnes eius coëpiſcopi; deinde capitula omniũ eccleſiarum Cathedralium huius Prouinciæ, ac omnes qui de Iure & conſuetudine intereſſe debent. Qui niſi legitima cauſa impediantur, per ſeipſos, non autem per procuratores comparere debeant. Eam verò ipſam metropolitano ſignificare, ac de ea oportuno tempore fidem facere teneantur. *c.placuit. 2.diſt.18.*

CAP. III.

ET nihilominus ſi cauſa impedimenti probetur, ſeu excuſatio, ne quis perſonaliter compareat, admittatur; procuratorem aliquem virũ eccleſiaſticum mittat non ad audiendũ tantùm & referendum, ſed ad deliberandũ & gerendum quæ principalis faceret ſi perſonaliter intereſſet, necnon ad acceptandum & recipiendum quæcunque in ipſa prouinciali Synodo acta, geſta, conſtituta, & decreta fuerint. *c, Epũs. p. diſt.18.*

CAP. IIII.

CONTRA verò abſentes, vel procuratorium ſufficiens non mittentes, primùm ad contumaciam, etiam per affixionem edicti publici ad valuas Metropolitanæ Eccleſiæ, aut alterius loci,

vbi concilium celebrabitur, deinde ad alias pœnas, iuxta canonicas ſanctiones decernendas procedatur.

CAP. V.

In ijs de hæreſibus extirpandis, & fidei integritate conſeruanda, de moribus reformãdis, & exceſsibus corrigendis, denique de controuerſijs cõponendis agatur. Quod ſi Epiſcopi & alij qui intereſſe debent à nouiſsimo Cõcilio circa hæc aliquid obſeruauerint, quod in Cõcilio proponendum videatur, id vno menſe ante diem præfixum ipſi metropolitano per litteras ſignificét.

CAP. VI.

Prima die oportuna poſt apertam Synodũ proceſsio ſolennis fiat, cõuocato vniuerſo clero ſeculari & regulari ipſius Ciuitatis, poſt proceſſionem miſſæ ſacrificiũ ab ibſo metropolitano fiat, in qua etiam vel ab eodem, vel ab alio eius iuſſu ſermo habeatur. Quod & ſequentibus diebus per ordinem faciant Epiſcopi, aut alij ab ipſis deputati.

CAP. VII.

A Concilio autem nemini recedere liceat, niſi ex iuſta & neceſſaria cauſa metropolitano expoſita, & ab eodem recedendi facultate in ſcriptis obtenta, & Promotori Concilij intimata, ac

per

per ſecretarios Concilij regiſtrata, procuratore etiam idoneo ſuo nomine relicto.

CAP. VIII.

Episcopi, ſeu eorum legitimi procuratores antequam à Concilio recedant, ad altare maius accedentes, decretis ac conſtitutionibus in eodẽ Concilio confectis, & promulgatis, poſtquam metropolitanus ſubſcripſerit, ſinguli ordine ſuo ſubſcribant.

CAP. IX.

Denique abſoluto Cõcilio & ſanctis acclamationibus factis, omnes Epiſcopi ſurgẽtes oſculũ pacis à metropolitano accipiant, & ſibi inuicem dent, ſignificantes ſe coniunctiſsimis animis omnia Concilij decreta exequi velle, quod proinde omni ſtudio ac vigilãtia re ipſa præſtẽt.

CAP. X.

Diœcesanam Synodum ſinguli Epiſcopi in ſuis diœceſibus ſingulis annis habeant. *d. ſeſſ. 24. c. 2.*

CAP. XI.

Et in prima poſt Cõcilium prouinciale, quæ quidem infra ſex primos poſt illud menſes habeatur, omnia decreta ipſius prouincialis promulgentur. *c. annis ſingulis & c. Decernimus diſt. 18.*

PVblicata fuerunt hæc decreta in inſigni Eccleſia collegiata S. Valdetrudis oppidi Mõtis

Hannoniæ poſt miſſam ſolennem ab Ill.mo & R.mo Domino Archiepiſcopo celebratam die vigeſima tertia menſis Octobris anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, & ſignata ſuper altare maius dictæ Eccleſiæ, prout ſequitur.

EGO Ioa. Fr. Epiſcopus Vercelleñ. Nunciuſque apoſtolicus & ſacræ huius Synodi vnà cum Ill.mo & R.mo Dño Archiepiſcopo Præſidens ſupra exaratis decretis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Ludouicus Archiepiſcopus Cameracẽſis his decretis conſentiens ſubſcripſi.

Ego Mathæus Attrebateñ. Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Fr. Franciſcus Namurcenſis Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Ego Ioannes Cotreau Vicarius & deputatus à capitulo Tornacenſi ſede vacante conſentiens ſubſcripſi.

Ego Iacobus Pamelius tanquam procurator piæ memoriæ R.mi Domini Ioãnis Six Epiſcopi Audomarenſis ad diem vſque decimam ſextam Octo-

Octobris excluſiuè, quo mors ipſius nunciata eſt, decretis, quorum deciſioni interfui, conſentiens ſubſcripſi.

Ego Ludouicus de Berſacques Eccleſiæ Audomarēſis Decanus, quia deciſioni decretorum ſubſequentium tanquam procurator ſedis vacantis interfui, ipſis conſentiens ſubſcripſi.

NOMINA deputatorum à capitulis Cathedralium & collegiatarum Eccleſiarũ iſtius prouinciæ; nomina item Abbatum, Priorum, procuratorum, & aliorũ, qui huic Synodo interfuerunt ſuo ordine in actis ſunt deſcripta.

Promotores Concilij fuerunt Io. Froidmont ſacræ Theolo. Licentiatus & Scholaſticus, ac Nicolaus Goubile decretorũ & legum etiam Licentiatus Canonici Cameraceñ.

Secretarij Petrus Preudhomme & Valerianus du Flos, decretorum & legum Licentiatus & Doctor, Canonici etiam Cameraceñ.

ACCLAMATIONES FACTÆ

POST PVBLICATIONEM DECRETO-

rum & decantatum in gratiarum actionem hymnum Te Deum laudamus.

DEo noſtro Patri miſericordiarum, & Deo totius conſolationis omnis honor, laus & gloria in ſæcula ſæculorum.

RESP. *Amen. Amen. Amen.*

Beatiſsimo Sixto Papæ quinto ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ Pontifici cunctarum gentium obedientia, & Chriſtiani nominis in omnem terram propagatio, ac diuturna proſperitas.

RESP. Domine Deus ſanctiſsimum Dominũ noſtrũ diutiſsimè & fœliciſsimè Eccleſiæ tuæ conſerua, atque illum ab omni aduerſitate cuſtodi, mitte ei auxilium de ſancto, vt eo gubernante gentes omnes illuminentur, & in vnum Eccleſiæ tuæ ouile colligantur.

Ill.mis & R.mis Dominis Epiſcopo Vercellenſi Nuncio apoſtolico & Archiepiſcopo noſtro ſacræ Synodi Præſidibus, necnon R.mis Dominis huius Prouinciæ Epiſcopis, ac venerandis Patribus ſalutaris vigilantia, in laboribus conſtantia, & fœlix ad Eccleſias ſuas reditus.

RESP.

RESP. Deus Pater luminũ,illuſtra faciem tuam ſuper ſeruos tuos,& dirige greſſus eorũ in viam pacis ad dandam ſcientiam ſalutis plebi tuæ.

Imperatori , Regi Catholico, & Alexandro Gubernatori noſtro perpetua fœlicitas.

RESP. Æterne Deus Chriſtianæ Religionis defenſoribus optabilem de hoſtibus crucis filij tui dexteræ tuæ potentia victoriam concede.

Prouinciæ noſtræ clero & populo,omnibuſq; fidelibus Chriſtianis tranquilitas, ſalus, & diuinarum gratiarum abundantia.

RESP. Benedic Domine filios tuos, & eſto in circuitu populi tui ex hoc nunc & in ſęculum.

Decretorũ huius prouincialis Synodi obſeruationem ſalutarem ad Prouinciæ noſtræ ſpirituale incrementũ omnes qui hîc adſumus vnanimi voto, à Deo bonorum omnium largitore humiliter imploramus, intercedẽte deipara virgine Maria Domina noſtra cum beato Ioanne Baptiſta ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, beata Valdetrude & omnibus ſanctis.

RESP. *Fiat,Fiat,Amen.Amen.*

CON-

112

NES, ET DE-
SACRI CONCILII
ROVINCIALIS CAME-
RACENSIS.

Præſidente R.P.Dn. MAXIMILIANO A BERGIS, Archiepiſcopo, & Duce Cameracenſi, ſacri Imperij Principe, Comite Cameraceſij, &c.

8-9-B-38

MONTIBVS HANNONIÆ,
Ex officina Caroli Michaëlis, typographi Iurati.

M. D. LXXXVII.

MAXIMILIANVS A BERGIS,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPVS, ET DVX CAMERAcenſis, ſacri Imperij Princeps, Comes Cameraceſij, &c. Vniuerſo Clero, & populo noſtræ Prouinciæ Cameracenſis, Salutem in Domino perpetuam.

CVM INTERDVM NOBISCVM *reputamus, quantopere noſtra cauſa hodie ſancta mater Eccleſia laboret, & quantis denique vulneribus ipſius membra, pluribus emortuis, ſaucia ſint; ſane crudeles nos merito filios ab ea cenſendos non dubitamus, niſi languenti congruentia remedia adhibeamus: vt qui inficias ire non poßimus, quin ſacrorum Canonum neglectu, morumque deformatione, ac vitæ diſſolutione, illius languori cauſam, immo & hostibus eius cõtra illam arma dederimus. Proinde licet cauſas nobis ſatis idoneas oblatas eſſe iudicemus, ex Concilij Tridentini mãdato, quare Synodum noſtræ Prouinciæ quam primum cogeremus; tamen ea res nos impulit maxime, quod veterem Eccleſiæ conſuetudinem hoc tempore reſtitui debere cẽſeamus, cum alijs plurimis rationibus inducti, ac publico periculo moniti, tum vt quæ mala in Eccleſiam inuexit vitæ diſſolutio, eadem morum reformatione tollãtur. Eſt etenim in primis neceſſarium; cum impiorum hominũ improbitas, ad conſilia Religionis euertendæ, ſceleratis animis conſpiret, paßimque peſtilentiæ cathedras erigat; vt ad publicum naufragium auertendum, pij homines, quibus Chriſti gloria cordi eſt, conuentus legitimos ſimul ineant, prouideantque, collatis ſentẽtijs, qua potißimum ratione has peſtes amoliri poßint ab Eccleſia. Quod maioribus noſtris, iam inde ab Apoſtolorum ætate, in more, & vſu fuiſſe, Eccleſiaſticis hiſtorijs abunde relatum eſt. Nam in Eccleſia ſi quid priſcorum ſæculo forte contigiſſet, ex quo detrimentum vllum Reſpub. capere, aut doctrinæ, morumq; ſinceritas corrumpi poſſet, tum, quod ſinguli oneri ſuſtinendo ſatis ſe eſſe minime putarent, multorum aggregatione de communi inter ſe negotio ſalutariter decernebant. Spectabant enim certam ac firmam Chriſti promiſ-*

promiſsionem, qua, collectis in ſuo nomine pluribus, medium ſe interfuturum pollicetur. Nec dubitabant quin ſuam vim Spiritus ſanctus certis indicijs proderet, quocunque piorum Eccleſia legitime conueniſſet. Sic Petrus, Apoſtolorum Princeps, cum Spiritus primitias haberet, ipſe tamen ex fratrum ſententia, & iudicio, Gentiles veteris pædagogi iugo maluit eximere, quàm id ſua ſolius auctoritate conſtituere: nec prius aut ipſe, aut Iacobus ita Spiritui ſancto viſum eſſe pronunciauit, quàm Senatus Apoſtolici de ea quæſtione cōſenſus eſt habitus. Hanc autem certiſſimam normam doctrinæ aduerſus hæreſes aſſerendæ, morumque, ac diſciplinæ retinendæ, non eo tantum tempore ſeruauit Eccleſia, quo Principum beneficio ſecuritas Chriſtianis data eſt; ſed eo quoque ſæculo, quo faſces Imperij Chriſtiani nominis interitum omni crudelitate molirentur: cuiuſmodi fuit ille Patrum congreſſus aduerſus Samoſatenum ſæpius repetitus; illeque aduerſus Nouatum habitus, & Carthagine, & Romæ multorum Epiſcoporum conuentus. Quam vtiliſſimam conſuetudinem, à ſanctis Patribus conſtabilitam, in quibus fuere Firmilianus, Cyprianus, Cornelius, compluresque pietatis maximæ viri, quamdiu poſterior Eccleſia retinuit, multo minus incommodi ab hæreticis impoſtoribus, perditiſque hominibus pertulit, quàm vbi deſitum eſt, legitimo Prouincialium conceſſu, ſacros conuentus ſtatis temporibus haberi: nec dubium quin exitialis eius negligentiæ partus ad publicam calamitatem in hæc tempora reciderit. Nam cum tranquillis rebus diuturna quies nonnullos ordinis Eccleſiaſtici languidiores ad officium præſtandum redderet, nec putarēt in otio negotium moleſte quærendum eſſe; nactus hanc oportunitatem Satanas, aſtute machinas adornauit, quibus hodie Religionem hæreticorum adminiculo tentaret euertere. Cui malo occurri certe melius non potuit, quàm ijſdem rationibus quibus maiores noſtri ſemper Eccleſiæ Chriſti propugnationem ſuſcepere, id eſt, Concilijs rite, ac pie collectis. Quorum ſi vllo vnquam tempore auctoritas, vſuſque fuit neceſſarius; pericula profecto noſtra declarant, de re nulla potius nobis eſſe cogitādum. Quare cum ſæpius inter nos de periculo, quod maximum Eccleſijs impendet, depellendo quæreremus; hæc vna, in ceteris, ſacra nobis anchora viſa eſt, ſi mature Concilium Prouinciæ Cameracenſis haberetur: in quo cum de reſtauranda diſciplina, tum vero de doctrina Chriſtiana conſeruanda inter Patres agitaretur. Huic autem inductioni noſtræ addidit animum inuictiſſimi, atque religioſiſſimi Principis Philippi, Regis Catholici, omniū optimi, ac maximi pietas: (in cuius ditiones tota pene noſtra Prouincia patet) qui cum id ſibi vehemēter placere ac probari pro ſuo erga rem Chriſtianam ſtudio declaraſſet; tum nihil potius habuimus, quàm vt diem diceremus eius ineundi Concilij. Is vero fuit dies Ioannis Baptiſtæ natiuitati feſtus: quo die fratres noſtri Suffraganei, Capitulorumque Cathedralium omnium deputati, complures Abbates, item iuſto numero Collegiorum, Decanorum, ac ſacerdotum plurimi, frequenti conuentu ex tota Prouincia (quod felix ſit, ac fauſtum) conuenere, qui omnes

ſancte, ac religioſe moniti, eum ſibi in primis ſcopum ſpectandum nobiſcum cenſuerunt, vt ante omnia gloriæ diuinæ ſeruiatur, vt quidquid œcumenicum Concilium Tridentinum ſtatuerit, id ſacroſanctum omnibus ſit, & inuiolabile: quidquid item anathemate damnauerit, id vt omnes execrentur: vti præterea in cultu, cæremonijs, moribus, diſciplina, ceteriſque ijs rebus omnibus, quibus legitima Eccleſiarum œconomia conſtitui debet, in his nihil non integrum, ac ſincerum admittatur; nihil, quod ſit ſanctum, ac purum, negligatur. Itaque ergo communi fratrum noſtrorum Epiſcoporum comprouincialium conſenſu, & aſtipulatione, duce & auſpice Deo, à quo omnis ſufficientia noſtra eſt, dictam Synodum Prouincialem editis, ac promulgatis certis ſtatutis, & ordinationibus, ad dicti ſacri œcumenici, & generalis Concilij executionem facientibus, feliciter abſoluimus. Quamobrem Deo primum Opt. Max. gratiam habentes, & agentes immortalem, vos omnes, & ſingulos per viſcera caritatis hortamur in Domino, vt parturientem, & totis iam viribus enitentem Eccleſiam, veſtris cum primis votis, ac precibus adiuuetis; quo innouationem veteris Patrum ſanctitatis in lucem edat, molitur enim nouum aliquid, & ſalutiferum Deus in ſeruorum ſuorum conatibus; eſtque id in expectatione, vt conuertat manum ſuam ad nos; &, quod inquit Ezaias, excoquat, ac purget argenti noſtri ſcoriam, id eſt, vt priſtinæ Eccleſiaſticæ ſanctimoniæ ſtatum reſtituat. Quare æquum eſt vos expromptum, & alacrem animum exhibere Numini, ne hanc optimi Patris gratiam peruicaciter abijciatis. Hoc denique certum, & indubitatum habendum vobis eſt; niſi in Eccleſiæ ſinu, & gremio manſeritis, vobis nihil eſſe commune cum Chriſto. Ea enim tabernaculum eſt Dei viuentis; corpus eſt Chriſti, electorum capitis, & Antiſtitis; domicilium eſt Spiritus, omnium piorum doctoris, & ſanctificatoris. Cuius quotquot participes effici cupiunt; illis neceſſe eſt vt ab omnibus hæreticorum impoſturis abhorreant, caueantque ſibi ab eo fermento, quo cæleſtis doctrinæ panem vitiant, & corrumpunt. Quod ipſi quidē facile conſequentur, ſi ijs ſalutaribus remedijs ſe muniant, quæ & in Concilio Tridentino & in prouinciali noſtro Patres accuratiſſime deprompſerunt.

QVOCIRCA *etiam beatiſſimi ſummi Pontificis mandato innixi, vobis ſub inobedientiæ, & alijs grauioribus pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, etiam in ipſis decretis contentis, diſtricte præcipimus, & mandamus, vt eadem decreta, & quæ in dicta Synodo noſtra prouinciali ſtatuta ſunt, accurate obſeruetis; & quilibet veſtrum, prout quemque concernunt, obſeruet, & obſeruari curet. Mandantes propterea Prælatis omnibus, ac Parochis, & verbi Dei concionatoribus, vt ea populis ſuis, quatenus hoſce, atque horum ſalutem reſpiciunt, quamſæpiſſime (ſingulis ſuis ſermonibus ſcilicet eorum aliqua) annuncient, ac plane, dilucideque exponant. Ad hæc cum pietas, quam profeſſi ſumus, id exigat, vt Paulino præcepto moniti, pro ijs. qui in poteſtate ſunt conſtituti. Deo Opt. Max.*

ſupplicemus; vos monemus, ac obſecramus, vt vtriuſque miniſterij, id eſt, Eccleſiaſtici, ac laici, Principibus fauſta omnia, ac felicia, in oculis Domini, comprecemini, vt eorum cura, ac diligentia tranquillum, ac pacatum ſtatum Reipub. Chriſtianæ omnes ordines retinere, & ſine trepidatione Deo ſeruire queant. Eſtote igitur memores in orationibus veſtris ſanctiſſimi Patris Pij Quarti, Pōtificis maximi, Præpoſitorumque veſtrorum, qui ſaluti veſtræ pro vobis aduigilant; Cæſaris quoque, Regum, & præſertim pientiſſimi Principis Philippi, Regis potentiſſimi, fortunam, incolumitatemque, & Regnorum ſtabilitatem Deo commendate; vt diuino ſemper præſidio ſeptus, & hoſtem Chriſtiani nominis fortiter à ceruicibus fidelium repellat; & cum Eccleſiam Chriſti tuendam ſuſceperit, eius conatus & ſancta conſilia, ipſe, per quem Reges regnant, & imperant, ſua benedictione fortunet. Datum in ciuitate noſtra Cameracenſi, loco noſtræ reſidentiæ, Anno Domini milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo quinto: Beatiſſimi vero Patris, ac domini Pij IIII. Pontificatus anno ſexto, Die tertia menſis Auguſti.

PRÆ-

PRÆFATIO.

IN NOMINE *ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

SANCTA Synodus Prouincialis Cameracenſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, cōſiderans fidem ſpiritualis ædificij, ac religionis eſſe fundamentum, ſine qua neque Eccleſia ſubſiſtere, neque quiſquam Deo placere queat; ſtatuit in primis, more maiorem, vt eius fidei confeſsio ante omnia præmittatur, vt quod corde creditur ad iuſticiā, id ore profiteantur omnes ad ſalutem. Quæ fides cum Apoſtolo teſte ſit vna, eam ipſam, quam à maioribus acceptam, ductamque à Chriſti & Apoſtolorum doctrina, Eccleſia ſancta Catholica, & Apoſtolica integram conſeruauit; eandem ſancta Synodus ſuſcipit, & amplectitur. Quoniam vero hæc fides orthodoxa in primis verbo Dei nititur, quod verbum ſacris litteris nobis eſt expreſſum, traditioneque Apoſtolica declaratum, ſed & ſacrorum Conciliorum œcumenicorum, & vniuerſalis Eccleſiæ ſenſu fideliter explicatum; ea omnia ſancta Synodus in hunc, qui ſequitur, modum profitetur.

CREDIMVS, & confitemur omnes vtriuſque Teſtamenti Canonicas ſcripturas, quas Spiritu ſancto auctore diuinitus traditas eſſe profitemur; ſed & ea omnia, quæ ſymbolis in Eccleſia receptis comprehenduntur, nempe Apoſtolico, & eo, quo ſancta Eccleſia Romana, atque Catholica publice vtitur, nempe Credo, &c. His, inquam, ſymbolis comprehenſa, & quæcunque præterea de fide, & doctrina à ſacris œcumenicis Concilijs ſunt definita, & tradita; maximeque à ſancto generali Tridentino Concilio; nulla hæſitatione complectimur. Senſum vero Canonicarum ſcripturarum omnium eum eſſe verum, & germanum credimus; non quem hominum, ſibi ſtulte ſapientium,

tium, vanitas intulerit; ſed quem Doctorum, ac Patrum conſen-
vſuſque ſanctæ matris Eccleſiæ docuit, ac tradidit.

TRADITIONES ab Apoſtolis verbo, & vſu traditas, receptaſque, ac conſeruatas ab Eccleſia perpetuis temporibus, tametſi eas litteris non mandauerint, tamen eas omnes vt ab ipſius Chriſti ore per Apoſtolos acceptas, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante poſitas agnoſcimus, & ſuſcipimus.

SEPTEM Eccleſiæ Sacramenta, quæque de ipſis idem ſanctum Concilium Tridentinum mandauit, ac tradidit, ea omnia firmiſsime tenemus. Quæcunque vero ſtatuit aduerſus omnes huius ſæculi hæreſes, ea omnia recipimus; ſimulque deteſtamur, & anathematizamus quicquid idem ſanctum Concilium Tridentinum anathemate damnat, & deteſtatur.

DE

DE LIBRIS HAERETICORVM SVSPECTIS, ET VETITIS.

CAPVT I.

QVO melius Tridentini Concilij decreto fiat ſatis; ſcilicet ne libri vetiti, & ſuſpecti (quorum lectione corrumpi rudiores facile poſsint) in Eccleſias, importentur; mandat ſancta Synodus, vt cum Magiſtratibus agant Epiſcopi, vt piæ memoriæ Caroli V. Cæſaris edictum accurate ſeruetur: Ne liceat librarijs, bibliopolis, typographis vllos libros inferre, edere, venales exponere, quorum catalogus non ſit viſus, & approbatus. Rogetur quoque ijdem Magiſtratus, vt in ſingulos annos fidem ex formula Concilij Tridentini profiteantur ijdem typographi, ac librarij; ſimulque obedientiam ſanctæ Sedi Apoſtolicæ cum renunciatione, & abnegatione omnium hæreſum promittere teneantur.

CAPVT II.

QVÆCVNQVE præterea clam in vulgus inferri, & ſpargi poſſunt, quibus magicarum præſtigiarum, diuinationum, aliarumque huiuſmodi rerum deteſtandus vſus retineatur, quibus Satanas homines perditos demẽtare ſolet; ea omnia (quoad fieri poteſt) prohibeant, execrentur, damnent, & exterminent Paſtores, concionatores, Epiſcopi.

CAPVT III.

LIBRI, quibus preces variæ continentur, plerunque falſis, ſuperſtitioſisque titulis aſperguntur: ea omnia purgari diligenter, & ad proportionem fidei reduci Epiſcoporum ſedulitate præcipit ſancta Synodus.

DE LECTIONIBVS THEOLOGICIS IN CAPITVLIS, ET MONASTERIIS.

CAPVT I.

CLERVM rerum ſacrarum non prorſus imperitum eſſe neceſſe eſt, ſcilicet vt reliquis dux eſſe, lucemque diuini verbi præbere poſsit: ac maxime, vt diuinarum Scripturarum delicijs oblectatus, & imbutus, voluptates, & illecebras carnis oderit,

oderit, & abijciat; malitque pane patris familias educari, quàm porcorum ſiliquis, & glandibus obbruteſcere. Quare decretũ Seſsionis quintæ Tridentinæ Synodi prorſus ſeruandum ſancta Synodus denunciat.

CAPVT II.

PRÆCIPIT itaque in collegijs, atque monaſterijs doctos viros conſtitui, qui Theologiam doceant; quique in eo præſtando eum ordinem teneant, qui maxime auditoribus ſit commodus, vt lectionis adminiculo non doctiores tantum, ſed probiores euadant.

CAPVT III.

CVRENT autem Epiſcopi cum Capitulis, & monaſterijs, quacunque ratione commodius fieri queat, propoſita ſiue pœna, ſiue præmio, vt frequens ſit auditorium, qua in re plurimum valebit docentis induſtria, ſi ſit efficax in docendo; vt non tantum rem exponere, ſed auditorem dicendo retinere, & oblectare poſsit.

CAPVT IIII.

RELINQVATVR autem Epiſcoporum, Capitulorũ, & Abbatum iudicio, qua hora, quibuſue diebus ſit prælegendum.

DE SCHOLIS.

CAPVT I.

CVM non minore cura parentes proles ſuas inſtituere,quam nutrire,ac fouere debeant; æquum eſt Eccleſiam liberos, quos Chriſto per lauacrum regenerationis peperit,omni diſciplina, ac ſalutaribus præceptis erudire. Docet enim Scriptura: Filij tibi ſunt,illos erudi,neque enim iuſta crementa iuuentus ad capeſſendam virtutem ſuſcipere facile poteſt; niſi a pueritia ijs doctrinis imbuatur,quibus robur capere ad pietatem, & religionem colendam poſsit. Quod quia pleriſque locis partim parentum incuria,partim paſtorum negligentia contemptum eſt; excuſſo timore diuino multorum temeritas, audacia, & peccandi licentia creuit. Quare, vt huic malo ſemel occuratur, ſtatuit ſancta Synodus: Id curent Epiſcopi, vt quamprimum ſcholæ in vrbibus,oppidis,& pagis diœceſum ſuarum, ſi collapſæ fuerint,reſtituantur:ſi conſeruatæ; colantur, & augeantur. Quibus ſcholis quicunque præfuturi ſunt, ij diſcipulos fidei rudimenta doceant; ſymbolum Apoſtolorum ſcilicet, orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, decalogum, Eccleſiæ præcepta, & formulam Confeſsionis:idque Latine, & vernacule,iuxta formam Catechiſmi, qui rudibus, & pueritiæ paulo poſt excudetur.

MVL-

CAPVT II.

MVLTOS inopia prohibet, ne filios in ſcholis litterarijs enutriant: quorum tamen ſalutis habenda eſt ratio, cum ſint & ipſi in Chriſti corpore, & familia. Quamobrem diebus feſtis, & maxime Dominicis, expleto veſpertino officio, iubet ſancta Synodus ludimagiſtros docere eadem rudiméta fidei, & Catechiſmi pro captu, & ingenio iuuentutis, quæ litteras non didicit; necnon ſubinde per vices interrogare, vt ſciatur, an proficiat; atque huic negotio tam in pagis, quàm oppidis Paſtores incumbant, aut ſacellani, aut clerici, ſeu matricularij. Parentes, ſi ſuos mittere negligant, moneantur; moniti, niſi pareant, Magiſtratui deferantur. Paſtores vero, aut ludimagiſtri, ſi id contempſerint, ab Epiſcopo corrigantur: &, quantum fieri poſsit, in ſcholis puerilibus puellæ ſeparentur a pueris.

CAPVT III.

SCHOLARVM magiſtri libros, auctoreſque legant diſcipulis ex præſcripto edicti Caroli V. Cæſaris piæ memoriæ. Si quos alios prælegere velint, nó ante tamen id tentent, quàm Epiſcopo probati fuerint, aut eius Vicarijs: nam plerumque libri Grammatici, ac Dialectici, ab hæreticis varijs erroribus contaminati, in lucem emittuntur. Et, vt huic malo ſecurius obuiam eatur, ſancta Synodus monet, &

hortatur Magiſtratus, & alios, quorum intereſt, vt in ſingulos annos fidei ex formula Concilij generalis Tridentini profeſsionem, & obedientiam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ cum abnegatione omnium hæreſum à dictis magiſtris ſcholarum, ſeu ludimagiſtris recipiant.

CAPVT IIII.

MANDAT præterea ſancta Synodus, vt preces, quas vocant horarias, nemo apud ſe retineat; ſi quid in eis aſtu, & nequitia ſectariorum aſperſum ſenſerint, quod cum Eccleſiæ doctrina nō cōueniat. Quorum nihil poſthac proſtare, & exponi poſsit; quod non prius recognitum, & approbatum per Epiſcopum fuerit, aut per eos, quibus id negotij mandauerit.

CAPVT V.

IN omnibus parochijs ſint qui doceant primam iuuentutem, maxime in his, quæ numeroſam plebem habent; paſtorque ſingulis menſibus diligenter inquirat, quantum proficiat pueritia; idque maxime prouideat, vt à teneris annis imbuatur timore, & amore Domini, ne corrumpatur vlla licentia, aut doctrina, quæ nec religioni, nec bonis moribus reſpondeat.

CAPVT VI.

DECANI autem rurales, quos Chriſtianitatis appellant, ſingulis ſemeſtribus, aut ſaltem annis eas ſcholas minores viſitent; referantque diligenter Ordinario, quæ ſit ratio inſtituendæ iuuentutis, quam quiſque præceptorum inierit.

DE SEMINARIO.

CAPVT I.

CVM ad hæreſes extirpandas, & reddendum Eccleſiæ Dei priſtinum ſuum nitorem, & Clero, ſacerdotioque priſtinũ ſuum decus; ac conſequenter, vt intra non multos annos Eccleſia mire floreat eruditione ſacra, pietate, vitæque puritate; habeantque ſingulæ diœceſes pleroſque omnes miniſtros bene idoneos ad laudabiliter obeundum munus ſuum, & non paucos excellentes eruditione, & pietate; nihil dici, aut cogitari poſſit exquiſitius illo decreto ſacroſanctæ Synodi Tridentinæ, quo iubetur, vt in ſingulis diœceſibus inſtituantur Seminaria miniſtrorum; atque adeo iam inde ab initio Eccleſiæ vix quicquam præclarius, aut efficacius inſtitutum eſſe videatur, ad reddendum Eccleſiæ Dei florentiſſimum ſtatum Litterarum ſacrarum cognitione, pietate, religione, vitæque puritate; ſanctiſſimum, & vtiliſſimum illud decretum com-

complectens ſancta Synodus vehementer hortatur, & obſecrat omnes Ordinis eccleſiaſtici viros, maximeque eos qui bonis eccleſiaſticis vtuntur, in hanc rem & vtiliſsimam, & ſingularis apud Deum & homines meriti, omnes conatus intendant, quo breui perfici poſsit, vt vberem ſegetem Reipublicæ Chriſtianæ hæc litterarum Seminaria proferant. Quæ vbi per ætatem maturuerit, ornet Eccleſiam, & expleat horrea Domini: neque enim melius opes eccleſiaſticæ, neque ſanctius collocari poſſunt. Nam cum ſint varia officiorũ genera, quibus charitas erga proximos exercetur; tamen hoc genus officij in cœteris eſt maxime laudabile: in quo genere cum eccleſiaſtici prælucere cœteris debeant; debẽt & ipſi in tanta calamitate, ac neceſsitate promptum, hilarem, ac liberalem animum præbere. Quare præcipit ſancta Synodus, vt quamprimum fieri poſsit, modus conſtituatur facta omnium beneficiorũ, atque eorum omnium, quorum decretum Concilij Tridentini Seſsionis XXIII. Cap. XVIII. mentionem facit, æſtimatione, quoad hæc Seminaria ponenda, & conſtituenda, ſufficiens contributio fiat.

CAPVT II.

HIC autem modus vbi certam, ac præſcriptam ſummam pecuniæ comprehenderit; tum videatur quot quæque diœceſis alumnos in litteris ad Eccleſiarum adiumentum poſsit alere.

CAPVT III.

ID vbi conſtiterit; quæratur locus idoneus huic pædagogio, & accommodetur ſupellectile. Quærantur item magiſtri, qui doceant: quæ omnia intra diem feſtum diui Gregorij proximi perfici debebunt, vel citius, vt cuique commodum erit.

CAPVT IIII.

SINT autem pueri, qui aſſumentur inſtituendi, ætatis non minoris quàm duodecim annorum: teneant prima litterarum rudimenta; ſitque tempus ſtudij ſingulorũ in Seminario quadriennium, aut eo plus, minuſue, vt Epiſcopo viſum fuerit, & ijs, quorum ex Concilio Tridentino intererit, ex præceptoris, & eorum iudicio, qui Seminario præfuerint: ne vel inutiles ſtudijs locum aliorum, qui frugi ſunt, occupent, vel bonæ ſpei iuuenibus tempus ad confirmanda ſtudia præcludatur. Quo exacto ij, quos indoles commendauerit, quique bonam in litteris operam nauauerint, ad maiora ſtudia mitti poterunt.

CAPVT V.

ET cum ſint tria hominum genera; alij pauperes, alij diuites, alij mediæ cuiuſdam conditionis, & fortunæ, qui non ea quidem ſunt fortuna vt poſſint ſine ſubſidio aliquo liberos ſuos in ſtudijs alere,

ſed tamen partem aliquam ſumptuũ ferre poſſunt; cuiuſmodi ſunt plurimi, qui filios habent magnæ indolis,& ſpei,ſi in litteris alerentur; decernit ſancta Synodus inſtituenda eſſe duo genera portionum, vt pauperum filijs pro victu, & amictu in ſingulos conferantur libræ triginta ſex, quarum ſingulæ valent XL. groſſos Flandriæ. At mediæ conditionis hominum filijs,in ſubſidium ſtudij, octodecim libræ: plus minuſue, pro modo facultatum cuiuſque, & ingenio adoleſcentum tribuatur. Sic enim & pluribus ſuccurri poterit, & nullum hominum genus (quod quidem indigeat auxilio) conqueri poterit ſuos filios, quos habebunt boni ingenij, à Seminariorum beneficio excludi; nulliuſque virtutibus obſtabit res anguſta domi.

CAPVT VI.

ET cum admodum incerta eſſe ſoleant voluntas, & propoſitum adoleſcentum; nedum puerorum, quibus locus petetur in Seminario; pater, aut tutores declarabunt ſe eſſe eius propoſiti, vt, qui ex ſuis aſſumentur ad Seminarium, vitæ genus eccleſiaſticum ſequantur; illudque animi ſui propoſitum iureiurando confirmabunt.

CAPVT VII.

RELIQVA vero omnia quę ad vtilitatem, atque com-

commoditatem horum Seminariorum pertinebunt; vt ſunt collecta, rationes, prouiſiones, officiarij; ea omnia prouidebuntur in diœceſana Synodo.

DE DOCTRINA, ET PRÆDICATIONE VERBI DEI.

CAPVT I.

QVOD ſacrum Concilum Tridentinum de explicanda doctrina in ſacris Litteris expreſſa, eadem Synodus prouincialis ſeruari præcipit: ſcilicet vt rectores eccleſiarum omnem diligentiam adhibeant, vt ſingulis ſaltem Dominicis diebus, & feſtis ſolennibus populo ſibi credito verbum Dei pure, & fideliter proponant, explicentque, vt res & oportunitas exegerint, vel Euangelium, vel Epiſtolam eius diei, omnis enim Scriptura, diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, arguendum, corrigendum, & erudiendum in iuſtitia. Iidem Paſtores articulos fidei ſubinde, ſacramentorumque fructum, & vſum legitimum, maxime in illorum adminiſtratione, ſi ſit commodum, doceant; nec præcepta decalogi, & Eccleſiæ prætermittant, vt eorum miniſterio perfectus ſit homo, ad omne opus bonum inſtructus.

CAPVT II.

HORTATVR præterea,vt ijdem Paſtores Apoſtolicarum traditionum,ac ſacrarum cæremoniarũ vim,& inſtitutionem pro re nata doceant, ſic enim religioſius,& vtilius,ac maiore reuerentia ab omnibus,qui pietatem colunt,ſeruabuntur.

CAPVT III.

CETERVM in exponendis quæſtionibus, de quibus controuerſia nobis eſt cum hæreticis non iactent temere conuicia; ſed caritatem erga omnes, & beneuolentiam præ ſe ferant. Explicẽt autem eas quæſtiones pure,ac ſimpliciter;doceantque quid ſit credendum; ac ante omnia diluant hæreticorum calumnias, dicentiũ ſæpe eccleſiam id ſentire,quod re ipſa non ſentit; caueantque ne cum volunt errorem hæreticorum fugere, in alium incidant. Quod ſi minus docti fuerint,quàm vt ea dilucide,ac ſolide queant exponere; ſint cõtenti ſimplici doctrina eccleſiæ; hortenturque plebem ad timorem Domini, religionem,bonos mores;dehortenturque ab omni ſcelere, ac flagitio, atque ab his maxime vitijs, ad quæ propenſos ſenſerint eſſe populares ſuos.

CAPVT IIII.

PASTORES non ferant quenquam in ſuis eccleſijs concionari ſine mandato Ordinarij. Doceant autem

autem pure, Chriſtiane,ac Catholice. Abhorreant non tantum ab omni hæreſi,ſed etiam ab omni ſuperſtitioſo,ac fabuloſo dogmate.

CAPVT V.

MANDAT præterea Synodus Paſtoribus,ne libros apud ſe teneant, aut legant,ex quibus corrumpi religio, bonique mores, ac ſtudium boni operis, timorque,& amor Domini languere poſsit; vt ſunt libri,qui laſciua,ſcurrilia,vana, & impura continẽt: ne horum librorum frequenti lectione ſeipſos, & populos ſibi creditos corrumpãt, procliue eſt enim vt quæ quis ſtudioſe legat,& eadem doceat.Inſtruãt autem bibliothecas ſuas bonorum, & piorum auctorum libris ab Academijs Catholicis approbatis, ex quibus doctrinam hauriant,quam ſalubriter ſuis popularibus docendo,& concionãdo poſsint effundere. Quiſquis autem non paruerit, puniatur; & ſi libros ſuſpectos, aut reprobatos ſeruauerit, agatur in eum, vt in ſuſpectos agi iure debet: niſi conſenſu Ordinarij,aut eccleſiæ habeant ad refutationem: de quo conſenſu docere tenebuntur.

CAPVT VI.

SI Paſtor impeditus vel ægritudine,vel alio quouis impedimento concionari non poſsit; teneatur

ſæpe alienam operam certis temporibus,ex arbitrio tamen,atque mandato Ordinarij, ad id munus adhibere, & eos apud populum ſuum habere commendatos,tanquam operarios mercede ſua dignos. Quod ſi contempſerit, Epiſcopus ſumptu eiuſdem paſtoris id curet.

DE CVLTV, CÆREMONIIS, ET OFFICIO DIVINO.

CAPVT I.

CVM in vniuerſo cultus diuini genere præcipuũ, ac ſanctiſsimum illud ſit, quod in offerenda corporis ac ſanguinis Chriſti Euchariſtia ſacerdotes exequuntur; ante ommia ſancta Synodus proſpiciendum iudicat, ne quid in tanto myſterio celebrando per incuriam,inſcitiam,vel contemptũ admittatur,ex quo eius myſterij dignitas apud populum minuatur:ne ex ſacerdotum ſordibus res, quę ſacroſancta eſt, in contemptum abeat; idemque probrum eccleſiaſticis inferri poſsit, quo filios Heli ſacerdotis ſummi infames fuiſſe ſacræ Litteræ referunt, nempe quod nequitia, & improbitate populum reuocarét à cultu,& ſacrificijs. Quare ſancta Synodus ante omnia, quod ad hanc rem attinet, quæcunque ſanctum œcumenicum Tridentinum Con-

Concilium ſtatuit,obſeruari mandat, atque omnibus modis hortatur, vt quicunque ad tremendum Miſſæ ſacrificium celebrandum acceſſerit, is in primis mentem puram,& attentam ad tanti Sacramēti myſterium perficiendum adferat:ne niſi bonæ conſcientiæ teſtimonio præditus, & pœnitentia ſacramentali,ſi neceſſe fuerit,præparatus,& probatus, ac debita oratione prius accommodatus ad corporis, & ſanguinis Chriſti venerabile Sacramentum Deo Patri offerendum ſe conferat. Qui cōtra fecerit,à paſtore,ſi ſit in parochia; à Decano,aut Præpoſito,ſi ſit in Cathedrali, aut collegiata eccleſia, monitus, niſi reſipiſcat, Superiori denuncietur ſeuere caſtigandus.

CAPVT II.

QVICVNQVE ad celebrandum ſe obtulerit, ac pridie temulentus, inſolenſue fuerit, aut crimen vllum notum admiſerit; à Rectore eccleſiæ caſtigandus non modo propter crimen admiſſum, ſed & ob ſcandalum, & irreuerentiam illatam Sacramento denuncietur Epiſcopo, aut eius Vicario, vel Officiali.Rector vero,ſi denunciare neglexerit, tanquam tāti ſceleris diſsimulator puniatur. Eſt enim valde præpoſterum,& indignum quod velint ſacerdotes omnem à laicis reuerentiam huic Sacramēto exhiberi; nec ipſi tamen moribus, & religione ſua exhibendam declarent.

CAPVT III.

IN Miſsis, quæ in Choro canuntur; ſiue ſint ſolennes, ſiue Dominicæ, aut feriales; ſic canatur, & à Choro, ac preſbytero, & reliquis, vt non tantum aures voluptatem, ſed mentes vtilitatem capiant. Quoniam vero in his quædam ad doctrinam pertinent, & eruditionem fidelium, vt Epiſtola, Euangelium, Symbolum: quædam ad laudes, quædam vero ad preces; ſtatuit ſancta Synodus, vt quæ ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ita legantur, & canãtur vt præſentes diſtincte exaudire ſingula verba poſsint. Quare in Symbolo canendo placet nec organa, nec Muſicam adhiberi; niſi ſit ſimplex, ac talis vt ſingula verba ſine repetitione poſsint intelligi. Quę vero ad laudes pertinent; vt ſunt hymni, Gloria in excelſis, Sanctus; in his Muſica locum habeat: ſed nec laſciua, nec choreis potius, quàm Choro congruens; ſed grauis, ac mouens pios affectus. Quæ vero in Miſsis ad preces referuntur, ea ſiue legantur, ſiue canantur; ſic fiant, vt affectus deprecantis potius, quàm exultantis lætitia demonſtretur. Id autem curent Epiſcopi in ſua quiſque Eccleſia, aut diœceſi.

CAPVT IIII.

ORGANORVM vſum in Miſsis ſic ſeruari ſtatuit ſancta Synodus, vti Concilio Tridẽtino mandatum

datum eſt: id eſt, ne modulatione laſciuas cantiones imitentur. Cæterum quæ in Choro cani debent ad inſtructionem, ea canantur voce, vt intelligantur mente: non autem organis, quæ ſic ædificare nequeunt vt viua vox piæ mentis interpres, & nuncia. Tamẽ ad ornatum cultus diuini liceat his modulis organicis vti in Proſis, Offertorio, Sãctus, & Agnus.

CAPVT V.

SEQVENTIAS, quas Proſas appellant, recognoſcant Epiſcopi, aut quibus hoc negotium dederint; antiquaſque, & ſenſu commẽdabiles, & approbatas vſu veterrimo conſeruent. Cæterum ſi quæ ſine legitima auctoritate inuectæ ſunt, & cani cœperunt, eæ diligenter examinentur: ne ſit earum frequentior vſus in eccleſijs.

CAPVT VI.

CÆREMONIÆ omnes, quæ ſignacula ſunt pietatis, & religionis Chriſtianæ, quaſque vel ab Apoſtolis, vel ab eccleſiæ Catholicæ traditione quaſi per manum accepimus; vt ſancte, & pie ſunt inuectæ, ſic religioſe conſeruentur in eccleſijs. In his autem, vbi fides, & deuotio acceſſerit, Spiritus ſanctus operatur, ac preſentium mentes mouet efficaciter.

Qvæ vero particulares ſunt in ſingulis eccleſijs huius Prouinciæ,de his Epiſcopi conſiderent quàm bene analogiæ fidei, & pietati Chriſtianæ conueniant; adhibeaturque Auguſtini iudicium ſuper ea re ſcribentis ad Ianuarium epiſtola c xix.

Novæ autem cæremoniæ nullæ in Eccleſijs recipiantur ſine Epiſcopi iudicio. Qui ſecus fecerit, puniatur;ſeruenturque decreta Concilij Tridentini de cæremonijs Eccleſiaſticis confecta.

Svperstitiones omnes,ſi quæ in eccleſijs cæremoniarum nomine inoleuerunt, vt ſunt quidam prę́ſcripti muneri cereolorum, & alia huiuſmodi per Epiſcopos,facta huius rei diligenti diſquiſitione, prorſus tollantur, agaturque ſedulo vt Decani rurales, & rectores Eccleſiarum renuncient in Synodis diœceſanis, quicquid circa hæc cognouerint eſſe corrigendum.

CAPVT VII.

In Choro cum pſallitur, Canonici omnes qui in Choro fuerint,& ſacellani pſallant, nec ſint in ſedibus ſuis otioſi; nec putent ſe functos officio,ſi vicaria tantum opera cultum diuinum celebrari curent: modo tamē pſallere per valetudinem queant, nec alijs impediti iuſtis de cauſis fuerint.

In omnibus Cathedralibus & collegiatis eccle-ſijs ſinguli Canonici teneantur per vices altaris mi-niſterium ſubire, ordinem ſcilicet ſacerdotij conſe-cuti; & in Choro hebdomadarum officium, quod vocant, præſtare; nec omnia ea committant Capel-lanis, vt fit in quibuſdã eccleſijs: ſaluis tamen funda-tionibus eccleſiarũ, in quibus aliter ſit cõſtitutum.

CAPVT VIII.

Legendas & hiſtorias Patrum, quæ legi ſo-lent in eccleſijs, Epiſcopi diligenter per ſe, vel alios, quos ad hanc rem delegerint, examinent, ac repur-gent: ne ſpuria, & incerta pro veris, certis, & germa-nis hiſtorijs legantur; & ea quidem ſic repurgata nec curſim, nec lentius legantur in eccleſijs: vtroque enim impeditur auditor, ne intelligat. Legantur au-tem diſtinƈte, preſſe, & intelligenter.

CAPVT IX.

Qvoniam multitudine ſuffragiorum, pre-cum, & pſalmorum additiciorũ in pluribus eccle-ſijs propter temporis anguſtiam fieri vix poteſt, vt attente, deuote, ac religioſe ea omnia vel canantur, vel legantur; placet ſanƈtæ Synodo per Epiſcopos, & duos de Capitulo, aut de monaſterijs, vt res po-ſtulauerit, ea reſcindi, quæ adieƈta, & aduenticia in

ſeruitio diuino cognouerint:vt ſanctius, & deuotius perfici poſsit; ſitque tempus aliquod relictum ſtudijs, & ſacrarum Litterarum interpretationi: ſit autem eius rei poteſtas penes Epiſcopos, & Clerum in Synodo diœceſana. Quod ſi Muſicam in huiuſmodi ſeruitio adhiberi contigerit; tollatur tamen illa prolixitas, quæ ad rem non pertinet, qua ſolent in fine Antiphonarum in Cathedralibus eccleſijs maxime prolixius abuti.

DISTRIBVTIONES Canonicis, & reliquis percipientibus ex præſcripto Synodi Tridentinæ aſsignentur matutino officio, Miſſæ maiori, Veſperis, & anniuerſarijs offiicijs pro mortuis præſentibus, qui matutino quidem officio, ac Veſperis ante primi pſalmi finem, in maiore Miſſa autem ante Epiſtolam abſolutam in Chorum ſe recipiant: nec inde exeant ante officium plane perfectum, niſi iuſta, & rationabili cauſa vrgente. Matutini tamen officij tempore licebit Canonicis ſacri audiendi cauſa Chorum relinquere, redituris tamen; alioqui diſtributiones non recipiant.

IN Choro colloquia nulla permittantur, ſed intendant omnes diuino cultui. Qui cõtra fecerit, niſi monitus quieſcat; priuetur eius horæ diſtributione.

DE-

DEAMBVLATIONES in templis diuini officij tempore omnino tollantur; agantque Epiſcopi, & Capitula cum Magiſtratibus, ne id laicis quoquo pacto liceat, & pœna conſtituatur tranſgreſſoribus. Canonicis autem pereat eius diei totum emolumentum diſtributionis ordinariæ: Capellanis vero arbitraria pœna, & Vicarijs infligatur. Correcti ſi pergant, cõtumaceſque ſe præbeant; vt rebelles puniantur Superioris arbitrio.

CAPVT X.

QVONIAM minime conuenit prophana, & ſæcularia ſacris myſterijs adiungi, vetat ſancta Synodus proclamationes in templis fieri earum rerũ omnium, quæ ad ſecularem negotiationem pertinent: maxime, quo tempore Miſſæ ſacrificum celebratur. Percuſsit enim Dominus Aaronis filios, quod ignem prophanum in tabernaculũ tulerint. Sed id liceat in egreſſu templi abſoluto ſacro.

CAPVT XI.

QVONIAM certis feſtis diebus ſolent prætextu recreationis honeſtæ multa à perſonis Eccleſiaſticis patrari, quæ licentia creſcente graue pariunt fidelibus offendiculum, propter ſcurrilia quædam, & inepta, quæ parũ decẽter fieri quibuſdam in locis, & eccleſijs ſolent, redolentque paganitatem potius,

 quàm

quàm Chriſtianam modeſtiam;hinc fit,vt diſtricte mandet, ac præcipiat ne quicquam horum futuris temporibus fieri patiantur Epiſcopi, ſiue alij Superiores; ne in homines ordinis Eccleſiaſtici illud attribui iure poſsit Apoſtoli dictum: Sedit populus edere,& bibere,& ſurrexerunt ludere.

DOCEATVR præterea populus dies feſtos religioſa pietate, non ingluuie, & temulentia colere. Cæterum cum diebus feſtis vt plurimũ vulgus ad laxiorem, & diſſolutiorem vitam plerumque ſeipſum effundat,quàm reliquis diebus;quo maiore reuerentia, & pietate queant obſeruari ab omnibus, videant Epiſcopi ſint ne aliqui feſti dies, quos præſtet eſſe profeſtos, id eſt, vt vocant,operarios; atque his diebus renuncient popularibus integrum eſſe operas cõſuetas exercere: nec nõ prouideant ijdem Epiſcopi,vt & in feſtis diebus, & in ieiunijs indicendis vſum Metropolitanæ,quoad fieri poſsit, ſequãtur,demptis patroni feſtis.

CAPVT XII.

SVPPLICATIONES publicæ, quas Proceſsiones vocamus,prius,quàm fiant,denuncientur populo, & cauſæ explicentur cur ab Epiſcopo, aut Clero decretæ fuerint;quo religioſius, & maiore fructu perfici queant. Populo autem in ſtatione col-

 127

collecto fiat concio. Poſt concionem celebretur ſacrum; moneanturque omnes in templo eo toto tempore perſiſtere, orationique inſtare; quo melius & furorem diuinum auertere, & fauorem conliare poſsint, eius enim rei cauſà vt plurimum in eccleſia ſupplicationes fieri ſolent.

SVPPLICATIONES, quas vt vſitato vocabulo Letanias dicimus, grauiter, religioſeque, humili, & quaſi depreſſa voce cani debent; vt ea cæremonia pius, & attentus affectus deprecantis eccleſiæ declaretur. Propterea ſtatuit ſancta Synodus, ne incongrua vociferatione, aut modulis minime conuenientibus eiuſmodi Letaniæ cantentur; quo populi deuotio magis accendatur.

CAPVT XIII.

ARCHIEPISCOPO, vel Epiſcopo rem diuinam in Pontificalibus quoquo pacto in eccleſia ſua celebranti ſemper inſeruiant, & aſsiſtant Archidiaconi duo, aut dignitates proximæ, aut ſeniores eccleſiæ Canonici, vt maxime viſum fuerit Epiſcopo.

CAPVT XIIII.

INTRODVCTA conſuetudo, quæ potius corruptela dici poteſt, abigendi per ſtrepitum eos qui Chorũ tardius ingrediuntur, quàm pro more con-

conueniat, non ſine ſcandalo pręſentium cultum diuinum interturbat. Cui ſcandalo ſancta Synodus prouidendum putauit: ne errorem errore grauiore videantur caſtigare. Propterea mandat eam cõſuetudinem prorſus aboleri; nec prohiberi quenquam, quo minus Chorum ingredi poſsit: ita tamen, vt qui ſerius ſit ingreſſus, diſtributione eius horæ priuetur, niſi legitimo impedimento iuſtam excuſationem habeat. Si quis tamẽ aliter ſe gerat in Choro, quàm pro more decet; ab eo, qui præeſt officio, ſigno aliquo, aut manus attactu moneatur.

CAPVT XV.

In pagis, & Parochijs hora conſtituatur Miſſæ diebus feſtis & Dominicis celebrãdæ: per hyemem hora nona; per æſtatem hora octaua: neque ab eo more Parochus quauis de cauſa recedat. Extra natalis Domini diem duas in die Miſſas nemo celebret; niſi neceſsitatis cauſa, & per Ordinarium cognita. Hora quoque Veſperarum in locis, vbi dici conſuetum eſt, paulo ante tertiam.

Qvi tintinnabula, & campanulas ad harmoniã quandam pulſare ſolent, caueant omnino ne huiuſmodi pulſatione cãtiones turpes, inhoneſtas, & vulgo iactatas imitentur; ſed potius hymnorũ, & canticorũ eccleſiæ modulationes. Si quis non paruerit, punia-

punıatur, vt qui multis labēdi occaſionem præbuerit, & in re ſacris dicata, ſpurca, & inhoneſta attulerit.

In eccleſijs ſiue Cathedralibus, ſiue collegiatis non conſtituantur Vicarij, qui Canonicas, quas vocant, horas in Choro canant: niſi aut ſacerdotes, aut in ſacris Ordinibus conſtituti, aut ſaltem Lectores ordinati; atque hi, quantum fieri poteſt, ſint cælibes, quorum mores, vitaque probata fuerit. Nec permittantur in Choro pſallere, niſi veſtitu, & habitu corporis miniſtros ſe eſſe Dei, & eccleſiæ demonſtrent.

Decani, ſeu Præpoſiti collegiatarum eccleſiarum ſtatuta Capituli auctoritate ordinaria, aut aliás ſtabilita, & confirmata, maxime quæ diuinum officium ſpectant, ſeruari; &, ſi antiquata ſint deſuetudine, reſtaurari diligenter curent: nec congregent Capitulum, qua hora Canonici in Choro eſſe debeant, quantum fieri poſsit.

DE MINISTERIIS ECCLESIASTICIS.

In miniſterijs eccleſiaſticis non minor delectus adhibendus eſt, quàm fuit in Ordine ſacerdotij Leuitici: in quo cautum mandato diuino legimus, ne, qui vitio aliquo corporis laboraret, ad conſortiũ

gerendi ſacerdotij vocaretur. Qua in re demonſtratum eſt quantopere ſit prouidendum, vt in eccleſia nemo miniſterium accipiat, quem nec ætas idonea nec indoles, nec vitæ integritas, & eruditio commẽdauerit. Et eam ob rem mandat Timotheo Apoſtolus, ne cui cito manus imponat; nec peccatis alienis communicet. Si enim recte Moyſes ſoceri conſilium recepit, vt viros fortes, prudentes, alienos ab auaritia populo præficeret, qui ſæcularia obirent miniſteria; multo magis idem in rerum diuinarum procuratione debet obſeruari. Quare ſancta Synodus inhærendo per omnia decretis ſacri Concilij Tridẽtini, hæc, quæ ſequuntur, in Ordinibus, miniſterijſque conferendis omnino retinenda cõſtituit.

CAPVT I.

IN minoribus, & ſacris Ordinibus conferendis Epiſcopi comprouinciales eum teneant ordinem, qui in Metropoli ſeruabitur: ſcilicet qui in Pontificali Romano habetur.

CAPVT II.

QVOTQVOT promouendi ſunt, pridie eius diei, quo conferri Ordines debent, aut prius, ſi Epiſcopo ita videatur, veniant probandi; adſintque hora, vt minimum, octaua ante meridiem, qua hora

vel

vel Epiſcopus, vel doctus vir aliquis doctrinam Chriſtianam explicet, ſummaria quadam declaratione præcipuorum capitum Catechiſmi, vt ſic diſcere queant, quæ ſacerdotij miniſterio cõueniunt.

CAPVT III.

HORA autem poſt meridiem ſecunda pro more probabuntur iuſto examine promouẽdi. In quo Subdiaconi nulli admittantur, niſi qui Grammaticam probe teneant, & intelligant quæ legerint: Diaconi, niſi Catechiſmi Chriſtiani rationem reddãt interrogati: vtpote de Symbolo Apoſtolico, præceptis Decalogi, & eccleſiæ Sacramẽtis, & de his præterea que conueniunt Ordini Diaconatus. Idem quoque fiat de preſsbyteris. Qui omnes teneantur teſtimonium afferre vitæ, & probitatis ſuæ: quod teſtimonium Decanus ruralis, & paſtor loci, in quo reſident, dare poterunt. Qui ſi ſecus, atque res habeat, teſtificati quacunque ex cauſa fuerint; ſeuere puniantur. Dominica quoque die ſiue per menſem ante Ordines futuros, aut prius paſtores eccleſiarũ nominatim denuncient populo eos qui promoueri velint ad ſacros Ordines, vt liceat opponere ſi quid vitij deprehẽdi poſsit: & huius proclamationis factæ adferant teſtimonium.

CAPVT IIII.

EORVM tituli, qui Subdiaconatus Ordinem quæſierint, ſi ſint patrimoniales, an ſint ſufficientes, nec ne; aut per fraudem, aut dolum quæſiti; diligẽter expendatur: nec recipiantur, niſi Decani ruralis, vel Officialis, aut vtriuſque teſtimonio per litteras expreſſo comprobentur; ſintque vt minimum quinque librarum groſſorum in ſingulos annos. Si ſint beneficiarij; ita valeant, dummodo conſtiterit beneficium fructus idoneos habere. Iuret autem promouendus non alienaturum à ſe huiuſmodi titulum patrimonialem, niſi aliunde ſit ſibi prouiſum; agaturque cum ciuili Poteſtate, vt edicto caueatur ne huiuſmodi titulus alienetur. Beneficiarium vero non reſignaturum; niſi aliud beneficium ſufficiens ad ſe alendum ſuſceperit. Et, ne in ea re fraus committi poſsit, nullã Epiſcopi, aut eius Vicarij reſignationem ſimplicem admittant; niſi ex litteris procuratorijs, aut alijs conſtiterit id beneficium, quod reſignandum proponetur, tituli loco non eſſe. Si quis vero penſionem habuerit, quæ tituli loco ſit, ne extingui poſsit; niſi aliunde habeat, quo ſe alat. Qui fraudem in ea re, dolumue commiſerit; arbitrio iudicis ordinarij grauiter caſtigetur.

CAPVT V.

REIECTVS ab Ordinario ſi Superiorem adeat,

vt

130

vt negatum beneficium eius auctoritate obtineat; Superior illud beneficium illi nulla ratione conferat, niſi cognitis prius cauſis reiectionis. Et ſi idoneæ fuerint, cur reijci debuerit, omnino non conferat.

CAPVT VI.

QVOTQVOT habent curata beneficia vnita ſuis eccleſijs, vt Capitula, & Abbates, nō prius committāt Paſtores ijſdem beneficijs curatis, quàm præſentati Ordinario fuerint, & accepti ab eo: quoniam populus eius curæ commendatus eſt, à quo ijdem rectores poteſtatem, quàm curam animarum vocant, accipient. Nec poſsint aut Abbates, aut Capitula admiſſos, & approbatos ab Ordinario rectores reuocare, niſi conſenſerit Epiſcopus; & ijdem rectores conſtituti mandatis Epiſcoporum omnino pareant; ab ijſque corrigantur, ſi quid deliquerint.

CAPVT VII.

CVRATI adminicularios ſacerdotes non recipiant ad miniſterium Sacramentorum, & reliqua munera quacunque mercede; niſi Epiſcopo oblati, acceptique ab eo, & approbati fuerint, & eius conceſsionis litteras habeant, & paſtoribus oſtendant.

CAPVT VIII.

MONACHI cuiuſcunque ſint ordinis, aut ſtatus;

 ſæcu-

ſæcularium confeſsiones non audiant; ac ne ſacerdotum quidem, niſi id Epiſcopus, habita huius rei probatione, aut Vicarius conſenſerit. Cuicunque veró rite probato Epiſcopus id conceſſerit; caueat ne loco indecenti, neue tempore, quo dedeceat, hoc Sacramentum Pœnitētiæ ad ludibrium diſciplinæ Chriſtianæ miniſtret.

CAPVT IX.

Qui præſunt fabricis eccleſiarum nullos ſacerdotes admittant ad ſuffragia, & ſacrificia legatorum piorum cauſa præſtanda; niſi ab Epiſcopo, aut eius Vicario probatos, & ad id miniſterium deſtinatos paſtoris voluntate. Cui, quod ad officium eccleſiaſticum pertinet, pareāt: ne per licentiam aditus improbis, & vagis ad eccleſias concedatur cum detrimento, & ſcandalo publico. Et qui admiſsi fuerint, paſtorem adiuuent in cultu, & officio diuino.

CAPVT X.

MATRICVLARII, & cuſtodes eccleſiarum munera ſordida, & plane laica non obeant: ne ſint publicani, ſiluarū cuſtodes, villici locatitij, nec veſtitu præ ſe ferāt aliud, quàm caſtum, & modeſtum eccleſiæ miniſterium, cui ſunt attributi. Veſtes, ornamenta, ſupellectilem diligenter cōſeruent, exponantque, & reponant honeſte vt dignum eſt. Qui

id

id nõ honeste præſtiterit, fructibus Epiſcopi iudicio priuetur; &, ſi neceſſe fuerit, officio ſubmoueatur.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

CAPVT I.

QVANTVM probri, & incommodi ebrietas adferat, cum omnibus ordinibus Reipublicæ, tum Clero maxime, res ipſa docet. Atque eam ob rem ebrioſum hominem nauigio iactato ſine vllo gubernaculo Salomõ comparat. Nec enim vllum poteſt virtutis, aut mentis conſtans officium præſtare, qui temulentiam, & ebrietatem ſectatur. Propterea lege veteri ſacerdoti mandabatur vino vt abſtineret, quo tempore munus ſacerdotij eſſet obiturus. Quare præcipit ſancta Synodus, vt quicunque in Clero, id eſt, in ſorte Domini fuerit annumeratus, ab hac ebrietatis, & crapulæ macula ſe prorſus abſtineat. Tollatur autem omnino turpis ea cõſuetudo, qua mutuo ſe quandoque prouocãt ad hauſtus æquales, certantque hac infamia reliquos vincere. Iſaias enim ijs execrationẽ denunciat, qui potentes ſunt ad bibendum vinũ. Quicunque vero ex Clero hanc normã cõtempſerit, niſi à Superiore monitus paruerit, caſtigetur: caſtigatus ſi non reſipuerit, ſuſpẽdatur ad tempus ſiue ab officio, ſiue à beneficio.

CAPVT II.

HOMINI eccleſiaſtico, quacunque dignitate fulgeat, plus laudis affert frugalitas in menſa, quàm ſumptus: plus dedecoris exquiſitus apparatus, quàm ſimplex: plus moleſtiæ lõgus accubitus, quàm breuis, & naturæ ſufficiens. Sit ergo cultus in menſa, & conuiuijs potius in grauitate, ſobrietate, & ſale conditis ſermonibus, quàm in pompa, & delicijs: atque ità deteſtetur Clericus commeſſationes, quæ ventri ſic ſeruiunt, vt menti noceant.

CAPVT III.

CONSORTIVM mulierum ſacerdoti non conuenit, quem caſtitas, & continentia ornare perpetuo debent: & vtut caſtitas ſeruari queat in muliebri cõſortio, raro tamen bonum nomen retineri poteſt. Quare præcipit ſancta Synodus, ne qui ſacros Ordines ſuſceperit, in familia ſecum habeat mulierem extraneam, de qua ſuſpicio facile ſiniſtra concipi poſsit, quàm ſuſpicionem vitare nequeunt, qui iuuenes, cultas, procaces, otioſas, impudentes, mali nominis ac famæ, aut quas anteactæ vitæ macula contaminet, vel ſecum alunt, vel frequenter aut adeunt, aut admittunt. Si quis hac parte peccauerit, monitus, caſtigatuſque, niſi animum & vitam mutauerit, grauiter Ordinarij arbitrio puniatur.

CLE-

CAPVT IIII.

CLERICI geſtu, vultu, habitu, & veſtitu ſtatum, & ordinem ſuum profiteantur. Qui eam diſciplinam neglexerit; & eum veſtitum ambierit, qui deceat potius militem, aut laicum, quàm Clericum; caſtigetur, cogaturque in ordinem redigi.

CAPVT V.

NEC familiam habeant Epiſcopi, reliquique omnes ordinis eccleſiaſtici, niſi recte inſtitutam, moribus probatam, cultu & veſtitu moderatam; quæ regulæ, ac diſciplinæ domeſticæ certum apud eos, qui foris ſunt, iudicium præ ſe ferat.

CAPVT VI.

CLERICI ne tabernas potorias adeant, neque diuerſoria frequentent, niſi ſint viatores; nec omnino ſe miſceant laicis compotantibus, vileſcit enim plurimum ex ea turpi, & indecora conſuetudine eccleſiaſtici miniſterij dignitas.

CAPVT VII.

SACREDOTE primitias celebrante, gratulatione publica æquum eſt auſpicium tanti miniſterij hilariter excipi: ſed ita tamen id conceditur à ſancta Synodo, vt eam gratulationem, ac lætitiam nulla turpitudo vitiet. Abſit igitur in conuiuio temu-

lentia : ludicra omnia , cuiuſmodi ſunt ſaltationes, choreæ,& huiuſmodi reliqua prorſus tollantur. Seruetur autem decorum per omnia, ac ſacerdotalis dignitatis habeatur ratio.

DE EXAMINE EPI-SCOPORVM.

ECCLESIA Cathedrali vacante fiant ante omnia publicæ ſupplicationes,& preces, quibus religioſe poſtuletur à Deo vt Sedem tanti miniſterij nemo ſuſcipiat,& occupet,niſi quem ipſe vocauerit, & miſerit, quemque ad legitimã functionem dono ſpiritus ſui accommodauerit. Vbi autem vel electio, vel poſtulatio, aut nominatio facta fuerit;per eos,eumue,quorum aut cuius interſit, auctoritate Metropolitani, aut ſi defuerit,vicinioris Epiſcopi Prouinciȩ affixis ſcedulis denunciatorijs ad valuas vacãtis eccleſiæ denuncietur patere aditum omnibus,qui ſciant aut impedimentum, aut vitium eſſe aliquod quamobrem electus,vel poſtulatus,aut nominatus minime promoueri debeat; vt libere, ac tutó eidem Epiſcopo, aut Archiepiſcopo denuncianti intra tempus definitum ſignificent: idemque aſſumptis ſecũ duobus

vacan-

vacãtis eccleſiæ Canonicis teſtes productos audiat, & examinet: quæraturque de natalium integritate, de ætate;an ſit annorum triginta; de vita, moribus, & exercitijs;de gradu,ſtatu,facultate, an Doctor, an doctus ſaltem; ſitque ijs virtutibus præditus, quas Apoſtolus in Epiſcopo requirit; & an ſex menſium ſpatio in ſacro Ordine fuerit conſtitutus,Quæ omnia fideliter deſcripta, ac eiuſdem Epiſcopi, aut Archiepiſcopi manu, ac ſigillo firmata, & obſignata mittantur ad S. D. Papam,vt ſufficienter inſtructus confirmare tutius electum,poſtulatum, aut nominatum queat.Sed & fidei, & obedientiæ profeſsionem, quam pręſtare idem electus, poſtulatus, aut nominatus teneatur, mittat idem Archiepiſcopus, aut Epiſcopus vicinior ad Sedem;quo cognoſcatur electus,poſtulatus, nominatus eſſe communionis Catholicæ.

DE EXAMINE PASTORVM.

IN paſtoribus cõſtituendis,aut inſtituendis ſeruari præcipit ſancta Synodus quicquid per ſacrũ Tridentinum Concilium decretum eſt; nominenturque ab Ordinarijs in Synodis diœceſanis, qui examen ſancte,& nullã fraude exequantur, vt maxime conuenire viderint Ordinarij,& vt habetur Seſsione XXIIII. Cap.XVIII.

DE RESIDENTIA EPISCOPORVM, ET CVRATORVM.

CAPVT I.

SANCTVM Tridentinum Concilium mandat Epiſcopis, vt in diœceſi ſua quiſque reſideat. Id vero omnino ſeruandum ſancta Synodus declarat, nam cum prælucere reliquis doctrina, & vita, vigilantia tutari greges ſuos, & pericula omnia ſpeculari, & auertere debeant, id quomodo præſtare poterunt abſentes? Itaque præſentia ſua doceant Epiſcopi, quanta ſolicitudine gregibus proſpiciant.

CAPVT II.

II vero ſi abſint diutius ab eccleſijs ſuis, nec iuſta, aut neceſſaria cauſa, cur abſint, reddi poſſit; plane demonſtrant de ſalute eccleſiarum ſuarum ſe non eſſe valde ſolicitos, nec ſatis prouidere vt nomen Epiſcopi re ipſa ſuſtineant. Quare ſeruandum erit omnino Tridentini decreti mandatum: id eſt, ne diutius quam per trimeſtre in anno ſit abſens Epiſcopus à ſua diœceſi; niſi cauſis legitimis excuſetur, quas exponere Metropolitano debebit, qui ſecus fecerit, pœnis eodem decreto contentis caſtigetur.

CAPVT III.

DENT autem operam Epiſcopi, ſi abeſſe ab

 eccle-

ecclesiæ contigerit, id ne fiat Aduentus, & Quadrageſimæ tempore; nec diebus feſtis ſolennibus, quibus maxime cõuenit Epiſcopos miniſterium obire ſuum in eccleſijs.

DE PASTORVM RESIDENTIA, ET EORVM OFFICIO.

CAPVT I.

PASTORES, ac rectores eccleſiarum Tridentini Concilij decretum de reſidentia ſeruent. Quod ſi horum aliquibus non erit integrum, aut fortaſſe commodum in eccleſijs, quas obtinent, reſidere, paſtoriſque munus exercere; intra dies quindecim poſt Purificationis feſtum eas eccleſias idoneis, & approbatis reſignent. Id vero ſi contempſerint; conferat Epiſcopus, aut qui ius habet conferendi, monitis tamen prius patronis, vt iure ſuo præſentandi vtantur.

CAPVT II.

PASTORES non modo præſentia, ſed officio, ac miniſterio reſideant in ſuis eccleſijs; ac per ſe, quantum liceat, doceant, ſacrificium offerant, Sacramenta miniſtrent.

CAPVT III.

VENERABILE corporis Chriſti Sacramentum

ad ægros non perferant rectores, niſi ſtola, & ſuperpellicio decenter ornati; lumine, & campanula præeunte; quo populus admoneatur officij ſui tum erga Sacramentum, tum vero erga laborantem infirmum.

QVÆ ſeptima Seſsione Tridentini Concilij decreta, & explicata ſunt, nec aliud ſanctæ Synodo cõſtitui ſuper hac re viſum eſt, quàm vt ſeruentur.

DE VISITATIONE.

CAPVT I.

EPISCOPI viſitando, ceterique, quibus viſitandi hæc prouincia iure, vel cõſuetudine mãdata eſt, Tridentini Concilij decretum omnino ſeruent, ac diligenter conſiderent quid in gregibus eccleſiæ ſit ægrum, aut ſanum; debile, aut firmum, confractum, aut ſolidum. Hæc emim proprie ad Epiſcopum pertinere nomen ipſum indicat. In id autem quantopere ſit incumbendum, Petrus & Paulus nõ præcepto tantum, ſed exemplo docuere, vti ex Actis Apoſtolorum facile colligitur. Quæ diligẽtia ſi cõtemnatur; reliquum eſt, vt ouilibus ad perniciem adductis, ſeuerius ruinas, & interitum è manibus paſtorum requirat Dominus. Quare ſancta Synodus ſerio præcipit, vt hoc tam ſalutare, ac neceſſarium

rium munus omnes, quorum intereſt,nec perfunctorie, nec aliena, quantum fieri poſsit, opera ſubeant;ſequanturque & Epiſcopi, & Archidiaconi per omnia præſcriptum Concilij Tridentini.

CAPVT II.

IN viſitatione primum cognoſcant de fide, vitæ ſanctimonia, ac moribus; ſiue viſitatio fiat in monaſterijs, ſiue Capitulis tam Cathedralibus, quàm collegiatis, vel etiam alijs eccleſijs. Quoniam id præcipue ſpectādum eſt,ne doctrinæ ſynceritas vllo errore corrumpatur; nec præterea vitijs vita maculetur. Cognoſcant deinde de regula, ac ſtatutis; an ſeruentur, an negligantur; & ſingula rite, ac ordinaté conſtituantur.

CAPVT III.

EXTERNA etiam viſitando non negligant: vt ſunt habitus,decens tonſura,& huiuſmodi reliqua.

CAPVT IIII.

SED illud præcipue ſpectent, quàm recte, & diligenter paſtores miniſteria ſua obeant; ſiue docēdo, ſiue Sacramenta miniſtrando, & venerabile Sacramentum,& Vnctiones,& Baptiſteria honeſte cōſeruando. Cognoſcant præterea de bonis eccleſiarū,ac

ſupel-

ſupellectile, de bibliothecis, & alijs huiuſmodi, ne quid per negligentiam pereat. Prouideant etiam vt & fundationes obſeruẽtur, & eleemoſynæ, liberalitate piorum hominum inſtitutæ, pauperibus nulla fraude diſtribuantur.

CAPVT V.

OMNIA, ſi quæ deprehenderint viſitando, & ea publica fuerint, caſtigent publice: ſi occulta; ſic punient, ne offendiculũ naſci poſsit. Sic deformata reformẽt, vt viſitationis fructus omnibus innoteſcat.

DE POTESTATE, AC IVRISDICTIONI ECCLESIASTICA.

CAPVT I.

NIHIL dubitandum eſt duplex eſſe forum eccleſiaſticum à Chriſto nomine Clauium nobis inſinuatum: alterum Sacramenti Pœnitentiæ, quod proprie ad conſcientiam ſpectat, in quo reus nõ niſi ex propria confeſsione ſoluitur, & ligatur; alterum vero iuriſdictionis, & regiminis externi: in quo reus non ſolum ex propria confeſsione, ſed etiam per teſtes conuincitur, & iudicatur, quo iudicio publica delicta corriguntur, & puniuntur: ne per ea homines

nes ab æterna beatitudine ſecludantur, ſed ad vitam æternam perueniant.

CAPVT II.

CVMQVE in hunc finem excommunicationis gladium, veluti neruum eccleſiaſticæ diſciplinæ à Chriſto datum eſſe conſtet, quo contumaces, & rebelles à Sacramentis, & communione fidelium ſeparet, & pręcidat; ſane iuri diuino, nedum ſacris repugnat Canonibus quod iudices laici, quibus de rebus eccleſiæ diſponendi nulla eſt attributa poteſtas, non raro prohibeant, mandentque iudicibus eccleſiaſticis ne excommunicatum à iure declarent, & denuncient; aut ne quem excommunicent; vel vt latam excommunicationis ſententiam reuocent. Proinde ſancta Synodus obſecrat, & obteſtatur in Domino ſereniſsimum, ac inuictiſsimum Regem Catholicum, aliosque Principes, Dominos, & Magiſtratus ciuiles, vt ab huiuſmodi prohibitionibus, & mandatis abſtineant. Quin potius, ſi quod abſit, iudicem eccleſiaſticũ ſua iuriſdictione, & poteſtate abuti contigerit, id ad Superiores eius eccleſiaſticos referant; ſintque memores pœnarum à ſacris Canonibus ſuper his inflictarum.

CAPVT III.

PROHIBET autem hæc ſancta Synodus de-

cretis Concilij ſacri generalis Tridentini inhærens, omnibus, & ſingulis iudicibus eccleſiaſticis, ne leuiter huiuſmodi gladio feriant; ſed alijs, vbicunque commode fieri poterit, tam in procedendo ac definiendo, quàm exequendo iuris vtantur remedijs, dicti ſacri Concilij inuiolabilis pręcipit auctoritas. Et ſi pecuniariam pœnam indixerit iudex, ad pios vſus mox, vt exactę fuerint, aſsignentur.

CAPVT IIII.

VTQVE diſpendioſæ litium protractioni obuietur, decernit quod in omnibus actionibus perſonalibus ad forum eccleſiaſticum pertinentibus iudex curet, quoad eius fieri poſsit, reum comparere perſonaliter, atque ad factum ſuum proprium reſpondere, non admiſſo procuratore; niſi de legitimo ipſius rei ſaltem ſummarie, aut veriſimiliter conſtet impedimento.

CAPVT V.

VBI autem reus comparuerit, ſi interrogatus à iudice debitum fateatur, ilico iudex dabit ei præceptum vt ſoluat infra tempus de ſtylo, vel iure conſtitutum; aut ſi illud ſtatim, ac ſimpliciter fateri nolit, ſufficere poterunt tres, aut quatuor actus, ſeu termini iudiciales; videlicet petitio actoris, & reſponſio rei ad petita, quæ ſi fuerit affirmatiua, ſeu cōfeſſoria, ſtatim

ſtatim condemnetur. Sed ſi negatiua fuerit, & ilico probetur, continuo quoque poterit ferri ſententia definitiua; niſi reus in teſtes excipere, & contrarias defenſiones proponere velit, quo caſu breuis ei terminus, ſiue dilatio pro ratione, & qualitate negotij præfigi debebit.

CAPVT VI.

Si vero in ius peremptorie vocatus nec ſe ſiſtere, nec litem conteſtari velit, citetur iterato cum monitione vt ad libellum, ſeu petitionem ſummariam actoris, cuius copia eidem tradetur, ſeu offeretur, reſponſurus compareat: deinde ſi tertio citatus, monituſque ſub pœna confeſſati, reſpondere detractauerit, perinde habeatur ac ſi contenta libelli, ſiue petitionis confeſſus foret; præuiaque alia citatione, vt cautius ac ſecurius procedatur, actor ad probandum, ſi teſtes habuerit, admittatur, ſin minus; iuramentum illi ex officio iudicis deferatur: vt ijs rite peractis, alijſque obſeruari ſolitis, obſeruatis, in cauſa concludatur vt ſententia definitiua feratur.

CAPVT VII.

Qvoniam non pauci in hac prouincia reperiuntur presbyteri & Clerici, ſeu pro talibus ſeſe gerentes, qui ſe notarios publicos ſcribunt, &

nominant; quorum imperitia nō ſolum nullitatis, ſed etiam falſitatis, aliaque vitia perſæpe committuntur, cum maximo contrahentium, aliorumque iniuria, & præiudicio: idcirco hæc ſancta Synodus, inhærens decretis ſacri generalis Cōcilij Tridentini, interdicit, & inhibet omnibus, & ſingulis presbyteris, & Clericis prędictis ne in negotijs, litibus, & cauſis rerum eccleſiaſticarum, ſeu ſpiritualium huiuſmodi officiū in hac noſtra prouincia exercere præſumant; niſi prius à locorum Ordinarijs præuio diligenti examine probati, & admiſsi fuerint. Alioqui quoſcunque illorum actus, & actita, ſeu inſtrumenta non publica, ſed priuata fore decernit; & quibus in iudicio, & extra, fides adhiberi non debeat: & vltra hoc etiam tanquam rebelles grauius arbitrio ſui Ordinarij puniendos.

CAPVT VIII.

Vt autem ratio fori, ac iuriſdictionis exercendæ conſtituatur certa aliqua, ſiue ſtipendiorum, ſiue aliarum quarumcunque rerum, quibus grauari litigatores quoquo pacto poſsint; ſtatuit ſancta Synodus præſcriptam vnam communem formam concipi, cuius erit vſus in prouincia, & à qua nemini reſilire liceat; quod vt commodius perfici poſsit, ſtato die per Patres, Officiales ſufraganeorum Epiſcoporum, aut alij ab ijſdem Epiſcopis deputandi ad Metro-

tropolitanam eccleſiam conuenient; atque cum eius eccleſiæ Officiali eam formam, ac regulam inter ſe conſtituent, quæ poſtea Metropolitani,& ſuffraganeorum auctoritate ſtabiliatur, vt ſeruetur ab omnibus.

CAPVT IX.

MANDAT pręterea ſancta Synodus prouincialis, vt Epiſcopi ad ſua reuerſi ſtatim in Synodo diœceſana deſignent perſonas idoneas, quibus cauſæ eccleſiaſticæ in partibus delegandæ committantur, iuxta decretum decimum Seſsionis XXV. Concilij Tridentini. Quæ perſonæ per Metropolitanum ad Sedem mittentur.

CAPVT X.

CÆTERVM cum ſacrum Tridentinum Concilium alia multa decreuerit, quorum nulla prouincialis huius Synodi decretis fit mentio, quia ſatis expreſſa, ac explicata ſint; ea omnia, ſiue ad doctrinam, ſiue ad eccleſiaſticam reformationem, & morum correctionem pertineant, ſancta Synodus plane, atque integre ſeruari debere, vimque, & auctoritatem inuiolabilem habere declarat.

CAPVT XI.

DECERNIT præterea ſancta Synodus, ac man-

dat, vt in diœceſanis conuentibus Epiſcopi omnia decreta Concilij Tridentini, & quæ in hac ſtatuta, definitaque ſunt, legi ac publicari curent: eaque, vbi typis mandata fuerint, in omnibus eccleſijs, ac à quibuſcunque ſacris initiatis Ordinibus haberi præcipit.

DE MATRIMONIO.

CAPVT I.

MATRIMONIVM res ſacra eſt; ſancta, & arcta coniunctione diuinitus inſtituta, cum nondum inter homines peccatum natum eſſet. Quare nec ſuſcipi, nec tradi niſi ſancte, ac religioſe debet; nec in prophanis rebus haberi vinculum, cuius Deus auctor, & coniunctor eſt. Ac propterea ſancta Synodus prouincialis ſeruari, ac recipi mandat quæcunque de matrimonio ſacrum Tridentinum Cōcilium decreuit: atque inter cetera, quæ ſequuntur, præcipit.

CAPVT II.

DOCEANT paſtores, idque frequenter populares ſuos in matrimonio ſpectari debere fidem, prolem, & Sacramentum: fidem ſcilicet, quę ius cōiugij conſeruet indiſſolubile: prolem, vt Dei beneficio

ficio ſuſceptu,ac donata mutua beneuolẽtia nutriatur,& inſtituatur religioſe:Sacramentum autem,vt exemplo Chriſti, & eccleſiæ diuortium coniuges non ſeparet. Separatos quacunque de cauſa alienus thorus non recipiat, niſi mors alterius interceſſerit.

CAPVT III.

MONEANT paſtores puberes, & aptos ad contrahendum matrimonium,ne pietatem erga parentes deſerant;ſed eorum arbitrio, & conſilio ineant matrimonia;malintque Iacob ſanctum virum imitari, quàm reprobum Eſau.

CAPVT IIII.

MONEANT identidem parentes, ne per vim filios adigant ad hoc,illudue matrimonium. Declarent præterea contracturi an liberé, an coacté conſentiant, vbi nullam vim paſtor cognouerit, nullumque impedimentum Canonicum;hos coniungat in Domino: ſi ſecus; differat.

CAPVT V.

PROCLAMATIONES ante matrimonium veterĩ more conſuetas, & decreto Tridentini Concilij mandatas non omittant paſtores; iurentque contracturi nullo impedimẽto prohiberi, quod ſciant, quin coniuges inter ſe eſſe poſsint.

SPONSA-

CAPVT VI.

SPONSALIA loco,ac tempore fiant commodo: id eſt,non in œnopolijs,aut tabernis potorijs; ſed in loco ſacro; nō poſt diſſolutas compotationes: cureturque,vt & ſponſus & ſponſa ſobrij, non ebrij, neque alias mente capti ſponſalia ineant.

CAPVT VII.

MATRIMONIA in facie eccleſiæ fieri mandat Synodus,ac paſtoribus præcipit, doceant cōiugibus non tantum eſſe honorificum,ſed vtile,fauſtum, & auſpicatum ſi res ſacra, cuiuſmodi matrimonium eſt,loco ſacro celebretur: & vberiorem diuinæ benedictionis fructum ijs expectandum,qui pie,ac religioſe ritum eccleſiæ ſequuti fuerint, quàm his qui contempſerint.

CAPVT VIII.

VT vitetur impudentium hominum temeritas, qui vagi frequenter per fraudem,& nefas multas diuerſis locis vxores ducere tentant; mandat ſancta Synodus, ſeruetur Tridentini Concilij de ea re decretum, ne temere ignotos paſtores cum Sacramenti contumelia coniungant.

CAPVT IX.

QVI falſum impedimentum ſciens,prudenſque attu-

attulerit, q[illegible]atrimonium futurum impediat; quique verum impedimentum ſciens reticuerit; excommunicationis pœna caſtigetur.

CAPVT X.

SI coniecturam habeat paſtor impedimenti alicuius; Ordinarium conſulat, antequam iungat matrimonio, de quibus dubitat.

CAPVT XI.

GRADVS conſanguinitatis, & affinitatis ſiue naturalis, ſiue ſpiritualis, quibus matrimonium impediatur, Tridentini Concilij Decreta conſtituunt, quæ ſeruari omnino debere, ſacta Synodus declarat.

CAPVT XII.

SVSCEPTORES è Baptiſmo, aut ſuſceptrices, quomodo, & cum quibus affinitatem trahāt, idem Concilium Tridentinū ſtatuit: cuius normam obſeruent, & ſequātur paſtores, qui nullos ad hoc munus recipiant, niſi qui annos diſcretionis attigerint; & ſciant, quæ ſcire debent ſuſceptores huiuſmodi.

CAPVT XIII.

CLANDESTINA matrimonia, vt ſunt ex Tridentini Concilij decretis definita nulla, & irrita fore, Epiſcopi denuncient, aut denunciari curent, ſcilicet trigeſimo poſt die, qua id proclamatum fuerit.

DE DECIMIS, OBLATIONIBVS, ET PORTIONE CANONICA.

CAPVT. I.

QVÆ de decimis ex Concilio Tridentino clariſsime mandantur, ea ſancta Synodus ſeruari omnino præcipit, ſcilicet vt pro locorum cõſuetudine, iuxta conſtitutiones Apoſtolicas, ac edicta Regia ſub pœnis, eiuſdem Concilij decreto contentis, perſoluãtur; nec ſint populares in Deum bonorum largitorem auari, & miniſtris eius ingrati

CAPVT II.

OBLATIONES ſolitas offerri in eccleſijs non laici, patroni nomine, ſed paſtores ſoli recipiant: eſt enim hoc prorſus indecorum. Earum autem oblationum partem, quæ patrono cedere debeat, ijdem paſtores fideliter reddant; ac de re tota, ne vllum offendiculum naſcatur, inter ſe conueniant; nec liceat paſtoribus eas oblationes vllo pacto elocare.

CAPVT III.

QVOD autem ad portionem Canonicam aſsignandã paſtoribus attinet, mandat ſancta Synodus omni-

omnibus Epiſcopis diligenter in ſua quiſque diœceſi perquirant quantos redditus, & prouentus paſtor ratione paſtoralis beneficij poſsideat; efficiantque, iuxta Tridentini Concilij decreta, vt paſtoribus ſit ſatis ad vitam commode ſuſtinendam; idque vel beneficiorum vnione, vel creméto, & auctu portionis decimalis. Quod ſi nullas decimas beneficium habeat, prouideatur tamen paſtoribus populi ſubiecti ſymbolis, &, vt dicunt, contributione, vel alia ratione, quæcunque commodior inueniri poterit.

CAPVT IIII.

In eam rem autem ex proportione, quotquot decimas percipiunt, æquabiliter contribuant, quantum cuique paſtori Epiſcopi iudicio ad victum ſufficiat.

CAPVT V.

At vero quo celerius, ac melius huic neceſsitati proſpiciatur, præcipit ſancta Synodus, vt mox, vbi ad ſua redierint, Epiſcopi adhibitis duobus Cathedralis eccleſię Canonicis, duobuſque, ſi fieri poteſt, Prælatis in eam rem diligenter incumbãt; vt proxima Synodo diœceſana omnibus paſtoribus ſit ſufficienter proſpectum.

CAPVT VI.

SI vniones duarum eccleſiarum fieri contigerit; popter vtriuſque inopiam, vnicus ambarum ſit paſtor. Cui ſacellanum ad partem ſolicitudinis deligere liceat; admiſſum tamen ab Epiſcopo.

CAPVT VII.

IN eccleſijs, in quibus iura paſtoralia vel cōuentione, vel auctoritate Magiſtratuum ſunt ordinata, ac terminata, ea iura maneant, ſi æqua fuerint: ſi minus; vel augeantur, vel minuantur Epiſcopi ac Magiſtratus iudicio. In quibus autem non ſunt determinata, ineatur ratio cū eodem Magiſtratu, vt fiat.

CAPVT VIII.

IN Eccleſijs, quarum inſtaurari ac refici Chorus eorum ſumptu debet, qui decimas capiunt, omnes eccleſiaſtici, qui eaſdem decimas obtinent, etiam ſi patroni non ſint, ex proportione decimarum, quas recipiunt, pro ſua quiſque portione conferat; ſiue inſtaurari tantum ijdem Chori debeant, ſiue de integro ædificari. Chori autem ſi de nouo conſtrui debeant, totum ædificium eorum fiat arbitrio, qui ſumptum facere debent.

CAPVT IX.

IN Eccleſijs autem, in quibus Chori ædificari, & reſtau-

reſtaurari ſumptu populi ex antiqua conſuetudine debent,maneat in ſuo robore conſuetudo.

CAPVT X.

QVÆDAM monaſteria decimas paſtoribus & Epiſcopis perſoluere recuſant ob quędam priuilegia ſuo Ordini à ſummis Pontificibus conceſſa: ſed quia in nonnullis parochijs omnia propemodum prædia ſunt eorum monaſteriorum; hinc fit, vt vix quicquam ſuperſit patronis, & paſtoribus ad onera ſuſtinenda. Quare ſancta Synodus hortatur dicta monaſteria,ne priuilegia ſua, detrimēto paſtorum, & eccleſiæ ſic extendant, vt alligetur os boui trituranti. Quod ſi contempſerint; nomine Prouinciæ recurratur ad ſanctam Sedem Apoſtolicam.

DE PVRGATORIO.

CAPVT I.

CVM de Purgatorio,ac ſuffragijs, quæ pro mortuis prę̈ſtantur, idem ſentiat ſancta Synodus, quod ſemper ſenſit eccleſia, quodque maxime Tridentino Concilio definitum eſt; eadem ſancta Synodus præcipit ſeruari, ac doceri,ſcilicet eſſe locum deſtinatum earum animarum purgationi, quæ ex hoc ſęculo migrant non plane purgatæ, neque ab omnibus pœnis debitis penitus abſolutæ; eaſque

animas precibus, eleemoſynis, & ſacroſanctę Euchariſtiæ corporis Chriſti ſacrificio, pro benignitate diuinę clementiæ iuuari, quæ omnia ſic offerantur à pijs, & fidelibus, vt neque pro damnatis, neque pro excluſis à gloria, neque pro ijs, qui ſalutem æternam iam conſecuti ſunt, offerantur; ſed pro ijs ſcilicet, qui nec tam bene vixerunt, vt ſtatim aſſumpti fuerint in gloriam; nec tam malè, vt in damnationem ſempiternam inciderint.

CAPVT II.

DOCEANT præterea, moneantque populum paſtores, vt hæc ſancta piorū exercitia, pie ac ſancte ſuſcipiantur; nec ferant ſuperſtitiones vllas inoleſcere, aut incerta dogmata, quæ nulla auctoritate, nulloque eccleſiæ cōſenſu probabilitatem habent: ſed turpis plerumque quæſtus faciendi inſtrumēta ſunt. Hæc quidem Epiſcopi diligenter curent, vt intelligant quid recte quid perperam in his, quod ad hoc attinet, agatur, vbi primum intellexerint, hanc contagionem depellant: ne plebi imperitæ turpiter imponatur; aut hæreticis calumniæ inurendæ anſa præbeatur. Quicunque in hac re impoſturam feciſſe deprehenſus fuerit, grauiter puniatur.

DE doctrina autem Purgatorij, ac ſequentium articulorum, nempe de inuocatione Sanctorum, de imagi-

imaginibus, ..quijs,& Indulgentijs copioſius, & vberius tractabitur in Catechiſmo, quem Patres excudi curabunt.

DE MONASTERIIS VIRORVM, ET MVLIERVM.

VT in Monaſterijs tam virorũ, quàm mulierum regularis diſciplina, vbi conſeruata eſt, firmius ſtabiliatur; vbi vero collapſa eſt, facilius reſtituatur: hæc ſtatuit, & decreuit ſăcta Synodus

CAPVT I.

ABBATES, vel Præpoſiti, Abbatiſſæ, vel Præpoſitæ, Priores, ſeu Prioriſſæ quorumuis regularium locorum ſtudeant in primis, Concilij Tridentini decretis ſatisfaciendo, ſuam, ſuorumque vitam ad ſanctæ regulæ, ſecundum quam ſunt profeſsi, præſcriptum inſtituere, & componere.

CAPVT II.

PROINDE frequenter diuinis interſint officijs, tanquam gregis Dominici veri & ſtrenui duces, inque oratorio id dumtaxat agi permittãt, quod Dei laudem, animarumque ſalutem, necnon proximorum ædificationem efficaciter operari dignoſcatur:

memores quod Dei domus, dom... ...ationis ſit; & maledictus, qui facit opus Dei negligenter.

CAPVT III.

CETERVM, quia menſæ communio charitatis vnionem deſignat, & à Patribus, antiquituſque ſtatutum, obſeruatumque fuerit in bene moratis cœnobijs vt omnes eodem in loco cibum ſimul caperent; ſtatuit ſancta Synodus, vt Superiores ſeuere prohibeant priuatas menſas; cogantque omnes, qui legitime non fuerint impediti, ad vnum conuenire refectorium communis refectionis gratia.

CAPVT IIII.

SI locis quibuſdam lectio ſacra in conuentuali religioſorum menſa hactenus omiſſa fuerit, & minus vſitata; eius vſus reſtituatur. Ieiunia item conuentualia ſicubi minus fuerunt obſeruata iuxta regulæ, aut locorum bene reformatorum vniuſcuiuſque ordinis conſuetudinem.

CAPVT V.

MONET quoque ſancta Synodus vniuerſos Regularium rectores, vt vna cum ſuis ſubditis corporis in Conuentu nonnunquam ſumant refectionem; niſi per occupationes legitimas, aut hoſpitum multitudinem penitus impediantur.

HORTA-

CAPVT VI.

HORTATVR inſuper ſancta Synodus, vt quãdo commode fieri poterit, initio mẽſæ ipſorum Superiorum ſacræ ſcripturæ, aut cuiuſpiam pij & Catholici Doctoris prælectio habeatur; vt vna cum corpore ſumat quoque & mens cibum. Porro expleta huiuſmodi ſacta prælectione nulli ſermones irreligioſi ibidem miſceantur; ſed qui boni ſint, & honeſti.

CAPVT VII.

OMNI diligentia curent, vt menſa ſit frugalis, vitenturque exceſſus; neque ipſi quenquam ad largius, ac immoderatius bibendum inuitent: immo ne patiantur quidem, quoad eius commode fieri poteſt; ne prophetæ comminatio in eos, eorumue cõuiuas merito poſsit cõpetere: Vę qui potẽtes eſtis ad bibendũ: Et viri fortes ad miſcendã ebrietatem.

CAPVT VIII.

MANDAT ſacroſancta Synodus omnibus Superioribus, vt diligentiſsimam operam adhibeant ne votum caſtitatis inter ſubditos periclitetur. Quibus etiam omnes occaſiones conſortij ineundi, ac familiaritatis cum mulieribus adimere adnitantur. Quæ profecto ſi quandoque ad cœnobia venerint, non eis concedatur acceſſus, etiam ſi religioſæ ſint & moniales, ad religioſos, vel loca regularia, aut cõuen-

uentualia; niſi ex certa quadam, & [illegible] rationabili cauſa Superior facultatem fecerit.

CAPVT IX.

CVM ſacroſancta Synodus Tridentina, & œcumenica præceperit ea quæ ad communem vitam, victum, & veſtitum conſeruanda pertinent, fideliter obſeruari; mandat hæc Synodus omnibus monachis, & monialibus, religioſisque, vt diligentiſsime paupertatis votum, tanquam ineffabilis cuiuſdam, & dulciſsimæ quietis cauſam cuſtodiant; neque proprietatis vitio violent. Caueant igitur nequid pecuniæ, aut alterius rei ſibi ita retineāt, vel retinere deſiderent, vt communitati nolint eſſe commune; neue ad peculiares vſus eo vtantur ſine Superioris conſenſu.

CAPVT X.

VT autem huic peſtifero vitio obuiam eatur; mandat ſancta Synodus omnibus omnium Ordinum Superioribus, ne ſubditis pecuniā pro quocunque cibo, vel potu, ſiue veſtimētis, & quibuſcūque neceſſarijs adminiſtrēt; ſed victus omnis, potus ac veſtitus, & quidquid neceſſarium fuerit, decēter, & prout ratio poſtulat, eis porrigatur. Reſcindant in ſuper Superiores & aboleant prorſus vniuerſa illa, emolumēta, & iura quę antiquo more quibuſdam

mo-

monaſteriorum Officialibus cõcedi ſolebant. Breuiter omnis illa pecunia, vel res, quam monachus, vel monialis acquirere ſiue labore,ſiue induſtria, ſiue amicorum liberalitate,ſeu denique qualibet alia occaſione poſsit, Superiori mox tradatur: ita vt ad nutum eius,tanquam res communis,expendatur.

CAPVT XI.

ET quo hæc omnia facilius,diligentius,necnon abſque tædio queant obſeruari; præcipit ſancta Synodus cunctis cunctorum monaſteriorum ſexus vtriuſque Superioribus quatenus ſecundum regulam,ac maiorum inſtituta benigne,necnon placide ſubminiſtrent omnia in vniuerſum, quæ ſuis ſubditis neceſſaria fuerint, & conuenientia:ne infirmioribus præbeant anſam detrimenti, votæ paupertatis valde grauidi, nonnihil congerendi, & apud ſe retinendi, in qua quidem re ſi negligentiores extiterint; admoniti, à ſuo Superiore omnino compellantur.

CAPVT XII.

QVANDOQVIDEM raro admodum terminantur fine bono, quæ malo inchoantur principio; abeſſe omnino vult ſancta Synodus à religionis ingreſſu labem,etiamque ſpeciẽ deteſtabilis ſymoniæ. Quocirca præcipit ſerio ſacros canones inſecuta,ne

monachi, vel moniales aliquem, vel aliquam ad profeſsionem recipiant mediante alicuius pecuniæ, aut muneris pacto; ne ea quidem ex cauſa, quod plures alere non poſsint ſine aliquo ſubſidio; cum Tridentina Synodus cap. III. De Regularibus aperte velit ne plures recipiantur in monaſteriũ, quàm ex proprijs monaſterij redditibus, vel ex conſuetis eleemoſynis commode ali poſsint. Vetat etiam ſancta Synodus, ne in ipſis diebus profeſsionum, & primitiarum fiat lautus ſumptus, lautuſque apparatus, quantus pleriſque locis fieri ſolet; ſed ſint frugalia omnia, & moderata.

CAPVT XIII.

PORRO moniales ſtudeant quàm accuratiſsime, quas de conſenſu Epiſcopi, aut Superioris viſitatoris iuxta Tridentini Cõcilij decretum educandas, & formandas ſuſceperint, conuictrices puellas pie, & catholice inſtituere; neque nimium curioſe veſtire, & ornare: verum prout decet puellas, inter Chriſti ſponſas verſantes, cum modeſtia, & timore dumtaxat ornentur.

CAPVT XIIII.

INSVPER quo nouitiorum, vel nouitiarum iuuenum inſtitutio, & formatio, vbi laudabiliter continuata eſt, conſtantius conſeruetur; vbi vero

neglecta eſt, diligenter inſtauretur: mandat omnibus monaſteriorum Superioribus ſancta Synodus, vt regulæ, ac ſtatutorum monaſterij, in quo iuuenes cupiunt profiteri, lectio, & explicatio eiſdem nouitijs fiat: ne imprudentius voueant, ſi ipſis minus conſtet, ad quid ſe per profeſſionem obligent.

CAPVT XV.

NVNQVAM religioſi foris pernoctent; niſi cauſa ægritudinis, negotiorum monaſterij, viſitationis parentum, vel amicorum, eis conceſſerit Superior. In quo non nimium faciles ſe præbeant Superiores.

CAPVT XVI.

CETERVM monet ſancta Synodus Abbates, Abbatiſſas, & alios monaſteriorum Præfectos, & Præfectas, vt ſui meminerint officij, ſeque non eſſe dominos bonorũ monaſterij, immo ne fructuum quidem; ſed tantum diſpenſatores, & adminiſtratores: neque ſe pro libito diſpenſare poſſe, ſed ſecundum intentionem eccleſiæ, & piorum fundatorum. Proinde valde reprehenſible eſſe eorum factum, qui ex bonis, vel etiam fructibus monaſterij ſui ditant propinquos, vel amicos ſuos. Itemque eorum, qui ſuperfluum, & nimis faſtuoſum habẽt famulitium, & comitatum, & nimium equorum numerum,

quique nimium ſplendidé, & ſumptuoſe ædificant, præſertim ædificia non ſacra.

CAPVT XVII.

POSTREMO ſicubi in monaſterijs tam virorum, quàm mulierum vel temporum lapſu, aut Prælatorum negligentia propter bellorum longam continuationem inſolentiæ, diſſolutiones, ac denique abuſus irrepſerint; mandat ſancta Synodus, vt in eorundem monaſteriorum prima viſitatione omnia, & ſingula ſupradicta tollantur, penituſque extirpentur; ac ad regulam, quam profeſsi ſunt, reducantur; quantumque fieri poterit decretis Concilij Tridentini conformentur.

DE SANCTIS.

CAPVT I.

SANCTORVM, qui cum Chriſto regnant, venerationem, cultum, & inuocationem eccleſia ſemper probauit. Hæretici vero nō huius ſæculi tantum, ſed vetuſtiſsimi reiecerunt. Atque in his non hæreticus, ſed apoſtata Iulianus eccleſiæ ſanctam cōſuetudinem irriſit, & damnauit, quaſi Chriſti martyres pro dijs ea coleret. Quemadmo-

admodum ...... ſancti Patres minime deſtiterunt ob hæreticorum, & gentilium contumelias, quin martyribus debitum honorem conſtanter ſemper impenderint: ſic nec debent pij homines à legitimo cultu, & inuocatione Sanctorum abduci; quicquid aduerſus eccleſiam latrent noſtri temporis hæretici. Sanctorũ enim precibus infirmitatem mortalium iuuari, firmiſsimis argumentis comprobatum eſt. Cuius rei teſtimonium Auguſtinus luculentum præſtitit. Nec dubium vllum ſtare poteſt, quin, cum nos diligant, in cælis ſalutem quoque noſtram votis, & precibus promoueant.

CAPVT II.

DOCEATVR tamen populus, alium eſſe cultum, quo Deus, ac mediator Dei ac hominum, homo Chriſtus Ieſus colitur: alium, quo Sanctos venerari pie debemus, colimus enim Deum, cum agnoſcimus creatorem, conſeruatorem, bonorum largitorem; quem expectamus iudicem, cui vni reddere rationem vitæ actæ debeamus; qui ſolus perdere, ſolus ſeruare poſsit; cui ſoli ſacrificium offertur cordis, labiorum, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ corporis, & ſanguinis Domini, quo genere cultus nec Angelorum vllum, nec Diuorum, nec virginem Deiparam colere licet.

CAPVT III.

ET quamuis Diuos recte colamus, vocemuſque aduocatos,& interceſſores; non eo tamen ordine,atque loco,quo Chriſtus homo aduocatus, mediatorque eſſe dicitur,cuius rei admoneri debebunt populares à paſtoribus, vt retundatur hæreticorum contumelia;qua dicunt eccleſiam Catholicam Diuos æquare Pontifici,& mediatori noſtro Chriſto.

CAPVT IIII.

PRECES fidelium analogiam & proportionem fidei ſequantur. Quare admoneantur populares minus docti,vt, cum Sanctorum memorias viſitāt, & eorum auxilium implorant, ac Chriſtiana conſuetudine orationem Dominicam recitant; intelligant ſe eam non ad Sanctos, ſed ad Deum dirigere, adiunctis ſibi comprecatoribus Sanctis.

CAPVT V.

DOCEATVR prȩterea populusquo diſcrimine vſa eſt, & vtitur eccleſia in letania cum inuocatur Deus,& cum inuocātur Diui.In ea enim facile perſpicitur alium eſſe cultũ,qui exhibetur Deo; alium qui Sanctis defertur. Sic enim vulgus ſe non facile patietur abripi hæreticorum præſtigijs.

DOCEA-

CAPVT VI.

DOCEATVR itaque populus preces quidem Sanctorum admodum vtiles ad impetranda dona non modo corporalia,& temporalia, ſed ſpiritualia, & æterna;Sed tamen abominandam eſſe eorum vanitatem, ac ſuperſtitionem, qui certo pollicentur non ex hac vita migraturos ſine pęnitentia,& Sacramentis eos, qui hunc, illumue ex Diuis coluerint; qui ſecuritatem in rebus gerendis, fortunæ certum ac optatum euentum iiſdem promittunt; & ſi qua alia huiuſmodi proferantur, & credantur, veluti,& illud quoque plane reprobandum eſt, ſi qui certo numero,præſcriptaque Miſſarum forma aliqua,aut precum affirmant certas, deſignataſque animas è Purgatorio ſemper liberari.

DE IMAGINIBVS.

CAPVT I.

IMAGINES Chriſti, ac Diuorum in templis habendas eſſe,vniuerſalis Synodus ſeptima tradidit; idemque Tridentinum Concilium confirmauit, quibus recte eius honoris externa ſigna exhibentur, cultuſque,& inuocationis, quam rei ſignificatæ deferimus; vt ſunt genuflexio, & reliqua huius generis. Neque abſurdum, aut impium quoquo pacto

videri debet; cum in ſignis prototyp. .an. Sicuti nec vituperari debet, ſi ſceleratorum Principum, odio tyrannidis, populus imagines euertat. Sed, ne quid agatur in eccleſia prępoſtere, quod ad hanc rem attinet, hæc, ſancta Synodus, quæ ſequuntur, conſtituit.

CAPVT II.

IMAGINES in templis nullæ ſtatuantur; niſi Epiſcopi conſenſu, & iudicio. Si quæ autem erectæ fuerint, ac præ ſe ferant quicquam quod nõ deceat, neque prototypo congruat; tolli eas aut mutari iubeto.

CAPVT III.

DOCEATVR præterea populus imagini cultum nullũ deberi aut propter materiam, aut propter elegãtiam, aut propter precium operis, aut propter quiduis aliud, quod ſit in artificio, aut imaginis ſubſtantia; ſed propter rem ſignificatam, ad quam hic cultus, & honos præcipue refertur. Et ſic admonendus eſt, animum orantis, aut venerantis in rem ſignatam referri; & non in ſignum: quod nec audit, nec videt, nec ſentit.

CAPVT IIII.

PRÆTEREA admoneatur populus imperitæ

plebis cauſa maxime poſitas eſſe imagines; vt illarum aſpectu docti, & moniti patrocinium Diuorum, & pietatem in Chriſto conſeruemus, & eorum vitam imitemur.

CAPVT V.

MIRACVLA nulla locum, aut auctoritatem habeant ſine iudicio eccleſiæ per Epiſcopum declarata: ne prçſtigiæ Dæmonum, aut impoſturæ improborum hominum pro certis, veriſque miraculis ad contumeliam nominis diuini habeantur.

DE RELIQVIIS.

SANCTORVM Reliquias ita venerari præcipit ſancta Synodus, vt ex Concilio Tridentino decretum accepimus, cum enim non tantum ſint monumenta, quibus Martyrum, ac Diuotum memoria renouetur, ſed fuerint viua corporis Chriſti membra, ac templa Spiritus ſancti olim ad ſempiternam gloriam excitanda; eò propenſiore deuotione venerandæ ſunt. Sed, vt in his omnis tollatur abuſus, prohibet ſancta Synodus ne quis nouas, aut ignotas Reliquias populo venerandas offerat; niſi prius ab Ordinario probatæ fuerint: & in his, quas conſtiterit veras eſſe, ritus fieri vetat,

quos eccleſiæ & religionis ſinceritas non approbat: nec niſi decenter, & tempore congruo circumferantur.

DE INDVLGENTIIS.

QVIA per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias & Claues eccleſiæ contemnuntur, & pænitentialis ſatisfactio eneruatur; ideo prohibet ſancta Synodus ne quis vllas nouas, aut ignotas Indulgentias populo commendet, & promerendas offerat, niſi prius ab Ordinario viſitatę fuerint, & probatæ. Ac præcipit etiam eadem Synodus vt Parochi populũ ſuum diligenter admoneant, ne circumforaneis quibuſdam, aut etiam impreſsis libellis temere fidem adhibeant, qui ex leuibus, vanis, & ſuperſtitioſis cauſis exorbitantes Indulgentias pollicentur; cum Indulgentiæ non niſi ex pijs, & rationabilibus cauſis concedi debeant.

POSTREMO mandat hæc ſancta Synodus omnibus, & ſingulis Epiſcopis, Abbatibus, Capitulis, & alijs quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis, & ſæcularibus vt præmiſſa omnia, & ſingula, & quæ à ſacro Concilio Tridentino conſtituta ſunt, diſtrictè obſeruẽt, & obſeruari faciant, ſub pœnis inibi reſpectiue contentis.

ANNO

ANno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, Menſis vero Iulij, die vigeſima quinta, de mandato Reuerendiſsimi Archiepiſcopi Cameracenſis præſidentis, & Reuerendiſsimorum Attrebatenſis, Namurcenſis, & Audemarenſis, Epiſcoporum comprouincialium, in ſancta Synodo prouinciali Cameracenſi, in Spiritu ſancto legitime congregata, aſsidentium: Nos ſcribæ infra ſcripti, ab ipſa ſancta Synodo deputati, & iurati præſcripta decreta, & ſtatuta Synodalia aliena manu fideliter ſcripta, & cum Originalibus collata, & concordata, in fidem omnium, & ſingulorum in eiſdem contentorum ſubſcriptionibus noſtris conſuetis ſignauimus.

Io. le Duc manu propria ſignauit.

Ita eſt Io. Merchier.

FINIS.

INDEX, ECRETORVM CONCILII CAMERACENSIS.

DE libris Hæreticorum ſuſpectis,& vetitis. fo. 1.
De lectionibus Theologicis in Capitulis,& monaſterijs. fo. 2.
De Scholis. fo.4.
De Seminario. fo.7.
De doctrina,& predicatione verbi Dei. fo. 11.
De cultu,cæremonijs,& officio diuino. fo.14.
De miniſterijs eccleſiaſticis. fo.25.
De vita,& honeſtate Clericorum. fo. 31.
De examine Epiſcoporum. fo.34.
De reſidentia Epiſcoporum,& Curatorum. fo.36.
De Paſtorum reſidentia,& eorum officio. fo.37.
De viſitatione. fo. 38.
De Poteſtate,ac iuriſdictione Eccleſiaſtica. fo.40.
De Matrimonio. fo.46.
De decimis oblationibus,& portione Canonica. fo.50.
De Purgatorio. fo. 53.
De Monaſterijs virorum,& Mulierum. fo. 55.
De Sanctis. fo.62.
De Imaginibus. fo.65.
De Reliquijs. fo.67.
De Indulgentijs. fo.68.

FINIS.

CONSTITVTIONES SVMMORVM PONTIFICVM,

QVARVM IN DECRETIS Superioris Concilij Prouincialis Cameracenſis fit mentio.

His additum eſt edictum regium de eiuſdem Concilij obſeruatione & executione.

BVLLA S.D.N.D. PII

Diuina prouidentia Papæ IIII. Super forma iuramenti profeßionis orthodoxæ fidei.

PIVS EPISCOPVS SERVVS ſeruorũ Dei, ad perpetuam rei memoriam. *Iniunctum* nobis Apoſtolicæ ſeruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus omnipotens, ad prouidam Eccleſiæ ſuæ directionẽ ſanctis Patribus in nomine ſuo cõgregatis diuinitus inſpirare dignatus eſt, ad eius laudem & gloriam incũctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilij Tridentini diſpoſitionem omnes quos deinceps Cathedralibus, & ſuperioribus Eccleſijs pręfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus, & alijs quibuſcunque beneficijs Eccleſiaſticis curam animarum habentibus, prouideri continget, publicam orthodoxę fidei profeſsionem facere, ſeque in Rom. Eccleſiæ obedientia permanſuros ſpõdere, & iurare teneantur; Nos volentes etiam per quoſcunque quibus de Monaſterijs, Conuentibus, Domibus & alijs quibuſcunque locis regularium quorumcunque ordinum, etiam Militiarum quo-

cunque nomine vel titulo prouidebitur idem ſeruari, & ad hoc vt vnius eiuſdem fidei profeſsio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicáque & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſollicitudinis partes in hoc alicui minime deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam, publicari, & vbique gentiũ per eos ad quos ex decretis ipſius Concilij & alios prædictos ſpectat, recipi, & obſeruari ac ſub pœnis per Concilium ipſum in cõtrauenientes latis, iuxta hanc & nõ aliam formã profeſsionem prædictã ſolemniter fieri, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtricte præcipiendo mandamus, huiuſmodi ſub tenore.

Ego. N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtũ filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum, ante omnia ſecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de Deo vero. Genitum non factum, conſubſtantialem patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria virgine: & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Põtio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas: Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in ſpiritum ſanctum Dominum, & viuificantem: qui ex patre filioque proce-

procedit. Qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur: qui loquutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſsionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorũm. Et vitam venturi ſæculi. amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & cõſtitutiones firmiſsime admitto, & amplector. Item ſacram ſcripturã iuxta eum ſenſum, quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum ſcripturarum admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere, & proprie ſacramenta nouæ legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Cõfirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem & Matrimonium, illaque gratiã conferre, & ex his Baptiſmum, Cõfirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium ſacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula quæ de peccato ori-

ginali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Trid. Synodo definita & declarata fuerūt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis & defunctis: atque in ſanctiſsimo Euchariſtiæ ſacramēto eſſe vere realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtātiæ panis in corpus & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrū Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari; Similiter, & ſanctos vna cum Chriſto regnantes, venerādos atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſsime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam

Eccle-

Eccleſiam omnium Eccleſiarũ matrem, & magiſtram agnoſco: Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti vicario veram obedientiam ſpondeo ac iuro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & œcumenicis Cõcilijs, ac præcipue à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: ſimulque contraria omnia atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inuiolatam, vſque ad extremum vitæ ſpiritũ conſtantiſsime Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum Ego idem. N. ſpondeo voueo ac iuro, Sic me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia.

Volumus autem quod præſentes literę in Cãcellaria noſtra Apoſtolica de more legantur: & vt omnibus facilius pateant, in eius Quinterno deſcribantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis

Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, Idib. Nouemb. Pontificatus noſtri Anno quinto.

Fed. Cardinalis Cæſius.

Cæſ. Glorierius.

Lectæ, & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ literæ Romæ in Cancellaria Apoſtolica, Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo quarto, Die vero Sabbati nona Menſis Decembris, Pontificatus ſanctiſſ. in Chriſto Patris &. D. N. D. Pij Papæ IIII. Anno Quinto.

A Lomellinus Cuſtos.

CONSTITVTIO S. D. N. D. SIXTI PAPÆ V.

CONTRA EXERCENTES aſtrologiæ iudiciariæ artem, & alia quæcunque diuinationum genera, libroſque de eis legentes, ac tenentes.

Syxtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

COELI ET TERRAE CREATOR Deus, quem vnum omnipotẽtem corde credimus ad iuſtitiam, & ore confitemur ad ſalutem, & ſi homini, quem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit, mentem dederit, quæ non ſolum diuino fidei lumine illuſtrata, myſteria illa cognoſceret, quæ humanam intelligentiam ſuperant, ſed etiam naturæ ſuæ vi, magno licet cum labore, præclara multa inueſtigaret atque intelligeret, tamen, vt ſuperbum animal homo non altum ſaperet, ſed timeret, & immenſam conditoris ſui majeſtatem, humi ſtratus veneraretur, ſibi ſoli eorũ, quæ euentura ſunt, ſcientiam, & futurarum rerum cognitionem reſeruauit. Solus enim ipſe, cuius oculis omnia nuda & aperta ſunt, & ad intimas hominum cogitationes penetrat, & conſequentes eorum actiones intuetur, ſolus ipſe, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt, omnia præſentia, & ante oculos poſita habet, ſolus denique omnia & ſingula quæcunque totius temporis decurſu, & ſæculorum ætatibus futura ſunt, ab omni æternitate nouit, & admirabili prouidentia diſpoſuit, quæ non modo humanæ mentis imbecillitas ignorat, ſed nec Dæmones ipſi præſentire poſſunt.

Quare

Quare idolorum in futuris annuntiandis falſitatem, & imbecillitatem, & eorum, qui eis cultum adhibebant vanitatem irridet Spiritus-ſanctus apud Iſaiam illis verbis. Annunciate quæ euentura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos: & in nouo teſtamento Chriſtus Dominus, diſcipulorum ſuorum de futuris euentis paulò cupidius inquirentium, interrogationem graui illa reſponſione retudit, qua etiam omnium fidelium ſuorũ curioſitatem coërcuit; Non eſt veſtrũ ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Nec verò ad futuros euẽtus, & fortuitos caſus prænoſcẽdos (futuris euentibus ex naturalibus cauſis neceſſario, vel frequenter prouenientibus, quæ ad diuinationẽ non pertinent, duntaxat receptis) vllæ ſunt veræ artes, aut diſciplinæ, ſed fallaces & vanæ, improborum hominum aſtutia, & Dæmonum fraudibus introductæ, ex quorum operatione conſilio, vel auxilio omnis diuinatio dimanat, ſiue quod expreſſe ad futura manifeſtanda inuocentur, ſiue quod ipſi prauitate ſua, & odio in genus humanum occultè etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, & intrudant vanis inquiſitionibus futurorũ, vt mentes hominum pernicioſis vanitatibus, & fallaci contingentium prænunciatione implicentur, & omni impietatis genere deprauentur, Quæ quidem ipſis cognita ſunt, non diuinitate aliqua, nec vera futurarum rerum ſcientia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, & alijs quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat. Quamobrem dubitandum non eſt in huiuſmodi futurorum contingentium, & fortuitorum euentuum inquiſitione & præcognitione Diaboli operationem ſe fallaciter immiſcere, vt ſua fraude ac dolis miſeros homines à via ſalutis auertat, & laqueo damnationis inuoluat. Quæ cum ita ſint, nonnulli hæc fideliter & religioſe, vt debent, non attendentes, ſed curioſa ſectantes, grauiter Deum offendunt, errãtes ipſi, & alios in errorem mittentes; tales imprimis ſunt Aſtrologi olim Mathematici; Genethliaci, & Planetarij vocati, qui vanam, falſamque ſyderum, & aſtrorum ſcientiam profitentes, diuinæque diſpoſitionis ordinationem ſuo tempore reuelandam præuenire audaciſsime ſatagentes, hominum natiuitates, ſeu genituras, ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac iudicant futura, ſiue etiam præſentia, & præterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſiue quauis alia temporum, & momentorum vaniſsima obſeruatione, & notatione, de vniuſcuiuſque hominis ſtatu, conditione, vitæ curſu, honoribus, diuitijs, ſobole, ſalute, morte,

morte, itineribus, certaminibus, inimicitijs, carceribus, cædibus, varijs diſcriminibus, alijſque proſperis, & aduerſis caſibus, & euẽtibus præcognoſcere, iudicare, & affirmare temerè præſumunt, non ſine magno periculo erroris, & infidelitatis, cùm S. Auguſtinus præcipuum Eccleſiæ lumen, eum qui hæc obſeruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & baptiſmum præuaricaſſe affirmet, vt illos meritò Apoſtolus arguat, atque increpet illis verbis: Dies obſeruatis, & menſes, & tempora & annos, timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis. Hi igitur leuiſsimi, & temerarij homines in miſerãdam animarum ſuarum ruinam, graue fidelium ſcandalum, & Chriſtianæ fidei detrimentũ futuros rerum euentus, & quæcunque proſperè, vel aduerſè obuentura ſunt, ac actus humanos, ea denique quæ ex libera hominum voluntate profiriſcuntur aſtris ſyderibuſque aſcribunt, eiſque eam facultatem, vim, ſeu virtutem, & efficaciam tribuunt ſignificandi futura, & ad præcognita ita inclinandi, vt ſic omninò, nec aliter euentura ſint, atque ob eam cauſam, de ijs rebus omnibus iudicia facere, prognoſtica, prædictiones, & præcognitiones ſibi aſſumere, & palam venditare non dubitant, quibus non pauci rudes, & imperiti, alijque nimis creduli, & imprudentes tantam fidem præſtãt, vt ex huiuſmodi iudiciorum, & prædictionũ præſcripto, aliquid certò eſſe credant, aut ſperent, quorum ſane, & mendacium magiſtrorũ temeritas, & infelicium diſcipulorũ credulitas magnopere deploranda eſt, qui vel diuinis litteris admoniti, non intelligunt hoimnis præſtãtiam, cui Cœli, & ſtellæ, & clariſsima Cœli ſidera Sol, & Luna, Deo ita diſponente, non imperant, ſed inſeruiunt, ſic enim Moyſes populum Dei, vt hunc errorem caueret, præmonebat. Ne forte eleuatis oculis ad Cœlum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra Cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt. Sed quid ſydera mirandum eſt homini ſeruire? nonne nobiliſsimæ intelligentiæ Angeli ipſi, omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? nam rationales oues ita Diligit Deus, vt non ſolùm Epiſcopos, quemadmodum à S. Ambroſio ſcriptum eſt, ad tuendum gregem ordinauerit, ſed etiam Angelos deſtinauerit. Præclarè etiam S. Hieronymus, Magna dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum. Quod ſi Angeli homines cuſtodiunt,

diunt, quid aduerſus Angelorum cuſtodiam, & tutelam aſtra moliri, aut efficere poterunt, quæ cum ipſis Angelis nullo modo ſunt cõparãda? Nec ſanè hoc loco prætereunda eſt, eximij Eccleſiæ Doctoris, & Beatiſsimi Pontificis magni Gregorij ſententia, qui Priſcillianiſtas hæreticos vnumquemque hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum naſci putantes, magno rerum & verborũ pondere confutat; Abſit (inquit) à fidelium cordibus, vt aliquid eſſe fatum dicant, vitam quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creauit, adminiſtrat; neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtellæ propter homines factæ ſunt, & ſi ſtella fatum hominis eſſe dicitur, ipſis ſuis miniſterijs ſubeſſe homo perhibetur. Vtinam inſani homines hæc ſaperẽt, & intelligerent, ac Dei monitis obtemperarent in Leuitico dicentis, Non declinetis ad magos, nec ab Ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos; neque enim quæ Chriſtiana, & vera pietas repellit, ac damnat tãto ſtudio inueſtigarent, ijſdémque miſerè ſe decipi atque irretiri paterentur. Sunt etiam inanes quidam homines, & curioſi, vel impij, & irreligioſi, qui futurarum, & occultarum aliarum rerum notitiam adeò anxiè habere ſtudent, vt ob eadem prænoſcenda & inueſtiganda, in diuinæ legis offenſionem multipliciter incurrant. Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromãtiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, alijſque ſortilegijs, & ſuperſtitionibus, nõ ſine Dæmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione, operam dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu vti non verẽtur. Alij verò aliquas priſtinæ & antiquatæ, ac per Crucis victoriam proſtratæ Idolatriæ reliquias retinentes, quibuſdam augurijs, auſpicijs, ſimilibuſue ſignis, & vanis obſeruationibus ad futurorum diuinationem intendunt. Alij verò ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui ſimiliter ad occultorum diuinationem ad inueniendos theſauros, vel alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ artis incantationes, inſtrumenta, & veneficia adhibent, circulos, & Diabolicos characteres deſcribunt, Dæmones inuocant aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumicationes, aliaue ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut ſacramẽtalibus ſacrilegè abutuntur, adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obſequia preſtant, cultum, veneratio-

rationemque tribuunt, aut annulum, vel ſpeculum, aut paruas phyalas ſibi fabricant aut fabricari curant, ad Dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, vt putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alij prætereà etiam in corporibus obſeſsis vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus Dæmones de futuris, vel occultis rebus, aut factis exquirunt, vt meritò ab eis quos Dominus in Euãgelio tacere imperauit, vanas, mendacéſque referant reſponſiones. Alij quoque præſtigiatores, frequentius verò mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ in phyalis, ſeu vaſculis vitreis aqua plenis, vel in ſpeculo accenſis candelis, etiam benedictis ſub nomine Angeli ſancti & albi, Diabolũ omnium malorum ſatorem ſupplices adorantes, vel in vnguibus aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis eundem omnium fallaciarum Architectum orant, vt ſimiliter futura, vel occulta quæuis per ſpectra, & apparentes imagines, ſeu phantaſticas viſiones ſibi oſtendat, aut ab eodem patre mendacij Diabolo alijs incantationibus, aut varijs ſuperſtitioſis obſeruationibus, futurorum & occultorum huiuſmodi veritatem quærunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorũ omnium, quos ſupra enumerauimus conſimilis impietas parem exitum habet, nimirum, quod Dæmonis præſtigijs, ac dolis, tum qui diuinant, tum qui diuinationem expetũt illuſi, ac deluſi miſerrimè reperiuntur. Itaque cum futuros euentus in ſeipſis conſiderare, antequam fiant, ſit Dei proprium; illud neceſſario conſequitur, vt Aſtrologi & alij prædicti, qui huiuſmodi futura prænuntiare, aut prænoſcere quocunque modo, niſi Deo reuelante audent, iniuſtè atque impudenter, quod Dei eſt ſibi aſſumant & vſurpent. Sic fit, vt dum ab eis, quod ſolius eſt Creatoris perperam creaturis tribuitur, diuina maieſtas grauiter lædatur, fidei integritas violetur, & animabus pretioſo Chriſti ſanguine redemptis peſtis, atque exitiũ importetur. Et licet iampridem regulis indicis librorum prohibitorum, ex decreto ſacri generalis Tridentini Concilij confecti, illud inter cætera conſtitutum fuerit, vt Epiſcopi diligenter prouiderent, ne huiuſmodi aſtrologiæ iudiciariæ libri tractatus, & indices legerentur, vel haberentur, qui de futuris contingentibus, ſucceſsibus, fortuitiſue caſibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent certò aliquid euenturum affirmare audent, permiſsis tamen iudicijs, & naturalibus obſeruationibus, quæ nauigationis, agriculturæ, ſiue medicæ artis iuuandæ gratia cõſcripta fuiſſent. Libros verò omnes, & ſcripta

Geomantiæ, Hidromantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, ſiue in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis Magicæ prorſus reijci, & aboleri curarent. Non tamen errorum corruptelarum delictorum, & abuſuum prædictorum extirpationi vſque adeò prouiſum eſt, quin etiam adhuc in nonnullis locis, & apud plurimos curioſius vigeant, cum valde frequenter detectis Diaboli in ſidijs diuinationum, ſortilegiorum & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe indies detegâtur. Nos igitur, qui pro noſtro paſtoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conſeruare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantum diuina gratia adiutrice poſſumus, ex paternæ charitatis viſceribus optamus, damnantes, & reprobantes omne genus diuinationum, quæ Diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent; Cupientes prætereà ſanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia & prouidentia ab omni erroris labe integram atque incorruptam, vt par eſt, retineri, volêtes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac huiuſmodi illicitarum diuinationum, & ſuperſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitijs, atque impuritatibus occurrere; vt de Chriſtiano populo meritò dici poſsit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt, Nō eſt augurium in Iacob, neque diuinatio in Iſraël; Hac perpetuo valitura conſtitutione, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcunque dictæ iudiciariæ aſtrologiæ artem, præterquā circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam impoſterum exercêtes, aut facientes iudicia, & natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſsibus, fortuitiſque caſibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmare audent, etiam ſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quam contra alios vtriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docêt, aut diſcunt, quiue huiuſmodi illicitas diuinationes, ſortilegia, ſuperſtitiones, veneficia, incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt, cuiuſcunque dignitatis, gradus, & conditionis exiſtant, tam Epiſcopi & Prælati, ſuperiores ac alij ordinarij locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis vbique gentium deputati, etiam ſi in pleriſque ex his caſibus antea non proce-

procedebant, aut procedere non valebant diligentius inquirant, & procedant; atque in eos ſeuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant. Prohibentes omnes & ſingulos libros, opera & tractatus huiuſmodi iudiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromātiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, artis Magice, aut in quibus ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac vt ſupra in memorato indice interdictos ſub cenſuris, & pœnis in eo contentis à quibuſcunque Chriſti fidelibus legi, aut quomodolibet retineri, ſed illos Epiſcopis, & ordinarijs locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt cōtra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta huiuſmodi ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter ijdem Inquiſitores liberè & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coërcere poſsint. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Vt autem præſentes noſtræ litteræ ad communem omnium notitiam facilius deducantur, Iubemus illas in valuis Baſilicarū Sancti Ioannis Lateraneñ, & Principis Apoſtolorum de vrbe, ac in acie Campi Floræ affigi, ſeu appēdi, eiſque detractis ipſarum exempla, etiam impreſſa eiſdem in locis affixa relinqui. Et inſuper vniuerſis & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinarijs, & Prælatis, necnon Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet conſtitutis, per hæc committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, vt per ſe, vel alium, ſeu alios eaſdem præſentes litteras, poſt quam eas receperint, ſeu earum notitiam habuerint, in ſuis, & ſingulis parochialibus Eccleſijs, dum in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, deinde verò ſemel in anno, & quoties ei expedire videbitur, vulgari ſermone publicent, aut publicari faciant. Quia verò difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda erit, deferri, Volumus vt earum tranſumptis, etiam impreſsis manu Notarij publici ſubſcriptis, ac paruo ſigillo Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis, aut alicuius Prælati, vel Curiæ Eccleſiaſticæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extrà vbique locorū adhibeatur, quæ eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitę, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum

ſtatutorum, mādatorum prohibitionis, iuſsionis, commiſsionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, quingēteſimo octuageſimo quinto, Nonis Ianuarij, Pontificatus noſtri Anno primo.

H. Prodat.

Io. Baptiſta Canobius.

A. de Alexijs.

ANNO *à natiuitate Domini milleſimo quingēteſimo octuageſimo ſexto, Indictione decima quarta, die verò nona menſis Ianuarij, Pontificatus S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. anno primo. Retroſcriptæ litteræ Apoſtolicæ, affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt in valuis, ſeu portis Sancti Ioannis Lateraneñ. & Sancti Petri Principis Apoſtolorum de vrbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, & aciei Campi Floræ, & per aliquod temporis ſpatium dimiſſæ per nos. Io. Freile, & Nicolaum Taglietum, S. D. N. Papæ Curſores.*

Alex. Parabiachus Mag. Curſorum.

INDVL-

INDVLGENTIAE CONFRATERNITATIS SANCTISSIMI NOMINIS DEI ET IVRAMENTORVM.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

ALIAS PER FELICIS RECORdationis Pium Papam quartum prædeceſſorem noſtrum accepto, quod in Burgenſi, & pluribus alijs Hiſpaniarũ Ciuitatibus, & alijs locis vna ſaluberrima Cõfraternitas, ſub vocabulo Sanctiſsimi Nominis Dei inſtituta erat, cuius Confratrum partes potiſsimùm eſſent diligenter cauere, ne ipſi, vel alijs coram eis aliquo modo, niſi ob cauſam grauiſsimam iurarent, & contrafacientes modeſtè admonerent, quódque ipſi Confraternitati plurimi Chriſti fideles ſe conſcribi fecerant, quorum opera, & ſtudio, blaſphemiæ, periuria, & aliàs illicita iuramenta prohibeantur, dictus prædeceſſor omnibus, & ſingulis dictæ Confraternitatis vbiuis terrarum pro tempore diffuſæ, vtriuſque ſexus Confratribus in illa pro tempore, deſcriptis qui verè pœnitentes & confeſsi die feſto Circuncisionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, annis ſingulis Sacratiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſciperent, & ſolemnitati per ipſam Confraternitatem dicto die feſto, vbiuis locorum pro tempore celebrari ſolitæ in toto, vel in parte intereſſent, quoties id agerent, toties pro quolibet die feſto, huiuſmodi plenariam omnium peccatorũ ſuorum Indulgentiam, & remiſsionem conceſsit: Illis verò dictæ Confraternitatis Confratribus, qui qualibet prima die Dominica cuiuſcunque menſis totius anni ad miſſam, quam ipſi Confratres audire tenerentur audiendum conuenirent, quotieſcunque id agerent,

agerent, decem annos, Qui verò temerè iurantem, aut aliàs diuinum nomen blaſphemantem, modeſtè & charitatiuè admonerent pro qualibet vice centum dies, & cuicunque Prædicatori verbi Dei ſeculari, vel cuiuſuis ordinis regulari, qui Chriſtifideles vt à iuramentorum abuſibus cauerent, & hanc dictæ Confraternitatis regulam amplecterentur, hortatus foret, decem annos de eis iniunctis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxauit. Necnon ipſis Confratribus, vt dicto die Circunciſionis quoſcũque ſibi beneuiſos, & idoneos Præſbyteros ſeculares, vel cuiuſuis ordinis regulares per ordinarium loci approbandos in ſuos poſſent eligere Confeſſores, qui confeſsionibus eorum diligẽter auditis, eos, & eorum quemlibet ab omni, & quacũque excommunicationis, etiam maioris, & alijs ſententijs, cenſuris, & pœnis à Iure, vel ab homine, aut mixtim, quauis occaſione, vel cauſa latis (ſaluo tamen Iure tertij) necnon omnibus peccatis, criminibus, exceſsibus, & delictis quarumcunque grauibus, & enormibus, etiam locorum ordinarijs, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis) præterquam in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta cõtentis) abſoluere, ac vota quæcunque Hieroſolymitanæ viſitationis, liminum Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli prædictorum de vrbe, ac Iacobi in Compoſtella, necnon Caſtitatis & Religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera cõmutare valerent, conceſsit. Prætereà eiſdem Confeſſoribus, vt ipſis Confratribus iuramenta quælibet ſine alterius præiudicio relaxare, necnon eidem Confraternitati, illiuſque Confratribus, ac Eccleſijs, Capellis, & altaribus eiuſdem vbilibet conſtitutis, quod quocunque tempore cuiuſuis interdicti, & ceſſationis à diuinis, videlicet dicto die Feſto Circunciſionis à primis veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei incluſiue veſperæ, miſſæ, aliaque diuina officia, in Eccleſijs, Altaribus, & Capellis prædictis ſolemniter & publicè celebrari, qualibet verò prima die Dominica cuiuſlibet menſis prædicti Confratres priuatam eorum miſſam ex eiuſdem Confraternitatis inſtituto celebrari ſolitam celebrari facere, illiſque intereſſe, ac ſemel in menſe Dominicum corpus ſumere, & quoties aliquem, ſeu aliquos ex ipſis Confratribus quocunque tempore interdicti, ſeu ceſſationis à diuinis huiuſmodi mori contingeret, dummodo cauſam non dediſſet interdicto, eorum cadauera cum moderata pompa ſepeliri liberè, & licitè valerent, & interim interdicta & ceſſationes à diuinis huiuſmodi quæcunque eſſent ad effectũ præmiſſum omninò ſuſpen-

ſuſpenderentur, & ſuſpenſa, eſſe cenſerentur, indulſit; Et deinde piæ memoriæ Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, quod in Ciuitatibus, oppidis, & locis totius Orbis Chriſtiani, in quibus forent Eccl. ord. Præd. duntaxat dicta Societas ſeu Confraternitas erigi poſsit, nec deinceps noua Societas, ſeu Confraternitas huiuſmodi inſtitueretur in Ciuitatibus, oppidis & locis, in quibus non foret dicti ordinis domus, aut in finitimis Eccleſijs, abſque licentia Prioris Prouincialis, ſeu Conuentualis dicti ordinis, in cuius diſtrictu ſita foret Eccleſia, in qua dicta Confraternitas eſſet, vel foret erigenda, quod ſi ſecus factum fuiſſet, Confratres taliter admiſsi, dictæ Confraternitatis Indulgentias non conſequentur, nec fauoribus, aut priuilegijs gauderent, quæ Confratribus legitimè adſcriptis, per Sedem Apoſtolicam concederentur, Motu proprio ſtatuit & ordinauit, prout in diuerſis litteris dictorum prædeceſſorum deſuper confectis plenius cōtinetur; Quare pro parte dilectorum filiorum Confratrum Confraternitatis Sanctiſsimi Nominis Dei in Eccleſia Beatæ Mariæ ſupra mineruam de Vrbe canonicè inſtitutæ, nobis fuit humiliter ſupplicatū, quatenus litteris prædictis robur Apoſtolicæ confirmationis adijcere, aliaſque in præmiſsis opportunè prouidere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictos Confratres à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſentētijs, cenſuris & pœnis à Iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes; necnon tenores dictarum litterarum præſentibus pro expreſsis habentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteris prædictis ac omnibus, & ſingulis in eis contentis Apoſtolica auctoritate tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia robur Apoſtolicæ confirmationis adijcimus, illaſque approbamus & cōfirmamus. Vt autem Chriſtifideles eò libentius dictam Confraternitatem ingrediantur, quo exinde dono cæleſtis gratiæ conſpexerint ſe vberius eſſe refectos, De Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui verè pœnitentes & confeſsi, ac ſacra communione refecti, dictam Confraternitatem ingredientur, in die primi illorum ingreſſus, ac in mortis articulo plenariam omnium & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem Apoſtolica auctoritate tenore præſen-

C tium

tium elargimur. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,ac omnibus illis,quæ,in dictis litteris expreſſum eſt,non obſtare,cæteriſque cõtrarijs quibuſcunque. Cæterum, quia difficile foret preſentes litteras ad ſingula quæque loca, vbi neceſſe fuerit, deferre, volumus quod illarum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctũ Petrum ſub annulo Piſcatoris,die nona Iulij.1580. Pontificatus noſtri anno nono.

SEQVITVR TRANSLATIO CELEbrationis *Miſſæ à prima ad ſecundam Dominicam menſis. Et conceſſio Indulgentiarum pro Confratribus intereſſentibus proceſſioni.*

AD perpetuam rei memoriam aliàs fel. record. Pius Papa IIII. prædeceſſor noſter,vt Confraternitas Nominis Dei nuncupata, in maiori ſemper reuerentia haberetur, & Chriſtifideles illam libentius ingrederentur, plurimis ſpiritualium gratiarũ donis inſigniuit, & inter cætera omnibus & ſingulis dictæ Confraternitatis vbiuis locorum tunc, & pro tempore diffuſæ vtriuſque ſexus Cõfratribus,in illa tunc,& pro tempore deſcriptis,qui qualibet prima die Dominica cuiuſcunque menſis totius anni in perpetuum ad Miſſam quam ipſi Cõfratres audire tenentur audiendum conuenirent, quotieſcunque id agerent decem annos de iniunctis eis pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta miſericorditer in Domino relaxauit, prout in eiuſdem Pij prædeceſſoris litteris plenius continetur. Cum autem ſicut accepimus, maior pars Ciuitatum, & oppidorum Dominica prima menſis ob ſolemnitatem roſarij impedita ſit, Nos huic incommodo prouidere volentes, dictæ miſſæ celebrationem ex prima in ſecundam, vel aliam, quoties in dicta ſecunda legitimum aliquod adfuerit impedimentum,cuiuſlibet menſis Dominicam, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium vnà cum relaxatione pœnitentiarum,vt præfertur,perpetuò transferimus, & tranſlatam eſſe decernimus. Præterea omnibus, & ſingulis Confratribus præfatis, qui proceſsioni ſolemni per eos ſemel in menſe celebrandæ verè pœnitentes, & confeſsi, ac Sanctiſsima Communione

nione refecti deuotè interfuerint, & ibi pro pace inter Chriſtianos Principes conſeruáda, ac hæreſum extirpatione, Sanctæque Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces eſtuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſsionem miſericorditer in Domino perpetuò concedimus, & elargimur. Contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die V. Septembris M.D.LXXX. Pontificatus noſtri anno nono.

CONFRATERNITATES SANCTISSIMI NOMINIS DEI, SIVE IVRAMENTORVM INSTITVI DEBENT IN ECcleſijs Ordinis Fratrum Prædicatorum tantum, ſi ibi exiſtant, ſin autem, poſſunt erigi in alijs Eccleſijs, cum licentia Prioris eiuſdem Ordinis.

Pius Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

DECET ROMANVM PONTIficem æqui & boni ſupremum aſſertorem, ita cuncta prouido ſuo iudicio diſcutere, vt & ſcandalis quibuſlibet obuietur, & ea quæ in diuini nominis gloriam ſunt ſtabilita, votiuum ſuſcipiant incrementum: accepimus ſane nuper, quod Societas nominis Dei, ſiue iuramentorum originem, & ortum habuerit ab Ordine Prædicatorum, eo quod ab eiuſdem Ordinis profeſſoribus fuerit inſtituta & aucta, necnon interuentu dilectorũ filiorum Fratrum dicti Ordinis multæ Indulgentiæ, aliaque priuilegia, & fauores dictæ Societati ab Apoſtolica Sede fuerunt conceſſa; tamen multi Clerici, & Parochi in ſuis Eccleſijs dictam Societatem erigere ſtudent, ita vt aliquando ſint plures in eadem Ciuitate Societates, ſeu Confraternitates dictæ inuocationis nominis Dei, ſeu Iuramentorum, in diminutionem obſeruantiæ & deuotionis, quæ ex frequentia conuenientium oriri ſolet, & non ſine aliqua confuſione, quæ ob præfatam cauſam in die Circunciſionis Domini, quando feſtum prædictæ Societatis, ſeu Confraternitatis celebrari debet, accedere conſueuit. Nos in præmiſsis pro noſtri Paſtoralis officij debito opportunè prouidere volẽtes,

motu

motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Quod in Ciuitatibus, oppidis, & locis totius Orbis Chriſtiani, in quibus fuerint Eccleſiæ Ordinis Prædicatorũ, ibi tantum, vel in huiuſmodi Ciuitatibus, oppidis, & locis, & in dictis Eccleſijs Prædicatorum duntaxat, dicta Societas ſeu Confraternitas huiuſmodi inſtituatur: in Ciuitatibus, oppidis aut locis, in quibus non fuerit dicti Ordinis Domus, aut in finitimis Eccleſijs, nõ abſque licentia Prioris prouincialis, ſeu Conuentualis dicti Ordinis, in cuius diſtrictu ſita fuerit Eccleſia in qua dicta Cõfraternitas ſeu Societas eſt, vel erit erigenda. Quod ſi ſecus factum fuerit, confratres taliter admiſsi dictæ Confraternitatis, ſeu Societatis Indulgentias non conſequantur, nec fauoribus aut priuilegijs gaudeant, quæ Confratribus legitimè adſcriptis per ſedem præfatam conceduntur Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuo ſtatuimus, & ordinamus, ac etiam diſtrictius inhibemus, ſicque volumus & præcipimus. Et nihilominus dilectis filijs conſeruatoribus dicti Ordinis per præſentes motu ſimili mãdamus, vt contradictores, ſeu attentantes auctoritate noſtra prohibeant, ac etiam per cenſuras eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, etiam pecuniarias, ac cætera Iuris & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita compeſcant, & reprimant, ſuper quibus illis facultatem, poteſtatem, & auctoritatem eiſdem auctoritate, & tenore concedimus, & impartimur. Decernentes præſentes litteras de ſurreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu notari vel impugnari, ſeu alias quomodolibet infringi, vel retractari nullatenus vnquam poſſe, ſed eas ſemper validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere, necnon ab omnibus, quos illæ concernunt inuiolabiliter perpetuò obſeruari, Sicque in præmiſsis ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatij noſtri Apoſtolici cauſarum Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere. Irritum quoque & inane ſi ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſsis, ac fe. re. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de vna, & Concilij generalis de duabus dietis dummodo non vltra tres ad iudicium vigore præſentium non trahatur, & alijs apoſtolicis con-

ſtitutionibus, & ordinationibus, necnon dicti Ordinis etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficatioribus, & inſolitis clauſulis, etiam motu & ſcientia ſimilibus, etiam conſiſtorialiter, ac alias in contrarium quomodolibet conceſsis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, indiuidua, & expreſſa mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſererētur, præſentibus pro expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrarijs quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim à prædicta ſit Sede indultū, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſsint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem. Cœterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, vbi neceſſarium fuerit deferre, Volumus quod illarum tranſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die vigeſima prima Iunij. Pontificatus noſtri Anno ſexto.

B. Melchiorius.

B. de Caſtro.

IN-

INDVLGENTIAE CONFRATERNITATIS NOMINIS DEI.

Pius Papa IIII. ad perpetuam rei memoriam.

INIVNCTVM NOBIS APOſtolicæ ſeruitutis officium nos admonet, vt animarum ſaluti quantum cum Deo poſſumus, etiã multiplicatis gratijs omni ratione conſulamus. Hodie ſequidem per nos accepto, quod in Burgẽſi, & pluribus alijs Hiſpaniarum Ciuitatibus, & alijs locis vna ſaluberrima Confraternitas ſub vocabulo nominis Ieſu inſtituta erat, cuius Confratrum partes potiſsimum eſſent, diligenter cauere, ne vel ipſi, vel alij coram eis aliquo modo, niſi ob cauſam grauiſsimam iurarent, & contrafacientes modeſtè admonerẽt, Quodque ipſi Cõfraternitati plurimi Chriſtifideles ſe cõſcribi fecerant, quorũ opera, & ſtudio blaſphemiæ, periuria, & alia illicita iuramenta commode prohibeantur; Nos vt ipſa Confraternitas in maiori ſemper reuerentia habeatur, & Chriſtifideles, eò libentius illam ingrediantur, quò ipſa amplioribus decorata ſpiritualium gratiarum donis, & Apoſtolicis fuerit ſuffulta priuilegijs, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorũ eius auctoritate confiſi, Omnibus & ſingulis dictæ Confraternitatis, vbiuis terrarum & locorum, nunc & pro tempore diffuſæ, vtriuſque ſexus Confratribus in illa nunc & pro tempore deſcriptis, vbilibet conſtitutis, ſiue ſub eiuſdem Confraternitatis regula prius edita, ſiue ſub alia ſimili comprehendatur, qui verè pœnitentes & confeſsi die feſto Circuncisionis D. N. I. C. annis ſingulis in perpetuam ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum ſuſceperint, & ſolemnitati per ipſam Confraternitatem in dicto die feſto vbiuis locorum pro tempore celebrari ſolitæ in toto, vel in parte interfuerint,

quoties id egerint, toties pro quolibet die feſto huiuſmodi plenariam omnium, & ſingulorum, ac quorumcunque peccatorum ſuorum Indulgentiam, remiſsionem, & abſolutionem, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & elargimur. Illis verò dictæ Confraternitatis Confratribus, qui qualibet prima die Dominica cuiuſque menſis totius anni, ſimiliter in perpetuam ad miſſam quam ipſi Confratres audire tenẽtur audiendam conuenirent, quotieſcunque id egerint decem annos, Qui verò temerè iurantem, aut aliàs diuinum nomen blaſphemãtem, modeſtè & charitatiuè, quandocunque admonuerint, pro qualibet vice centum dies, Et cuicunque verbi Dei prædicatori ſeculari, vel cuiuſuis ordinis regulari, qui Chriſtifideles vt à iuramentorũ abuſibus caueant, & hanc dictæ Confraternitatis regulam amplectantur hortatus fuerit, decem annos de iniunctis ſibi pœnitentijs in forma Eccleſiæ conſueta, miſericorditer in Domino relaxamus. Et vt ipſi Confratres dictæ Indulg. plenariæ, Deo propitio facilius efficiantur participes, illis, & eorum ſingulis Indulgentiam huiuſmodi conſequi volentibus, vt dicto die feſto Circuncisionis occurrente, quoſcunque ſibi beneuiſos idoneos preſbyteros ſeculares, vel cuiuſuis ordinis regulares per ordinariũ loci approbandos, in ſuos poſsint eligere confeſſores, qui confeſſionibus ipſorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet, ab omni & quacunque excommunicationis, etiam maioris, & ab omnibus & quibuſuis alijs Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à Iure vel ab homine, aut mixtim quauis occaſione vel cauſa latis (ſaluo tamen Iure tertij) necnon ab omnibus & ſingulis eorum peccatis, criminibus, exceſsibus, & delictis quantumcunque grauibus & enormibus, etiam locorũ ordinarijs, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, præterquam in Bulla die Cœnæ Domini legi conſueta contentis, dicta auctoritate Apoſtolica abſoluere, eiſque pro commiſsis pœnitentiam ſalutarem iniungere: Ac vota quæcunque Hieroſolymitanæ viſitationis, liminum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli prædictorum de Vrbe, ac Iacobi in Compoſtella, necnon caſtitatis & religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare valeant, ſimiliter auctoritate & tenore præmiſsis perpetuò concedimus & indulgemus, Mandantes vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſc. ac dilectis filijs cæteris Eccleſiarum Prælatis, & locorum ordinarijs vbilibet conſtitutis, eorumque generalibus ſpiritualibus Vicarijs & Officialibus,

quod

quod vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro confratrum prædictorum parte fuerint requiſiti, eidem Confraternitati prædictæ pro poſſe faueant, fauorabiliter aſsiſtát, & illam promouere procurent. Præſentibus, quas nunquam etiam per nos, aut alios Romanos Pont. ſucceſſores noſtros, vel ſedem præfatam, aut alios quoſcunque quomodolibet reuocari, ſuſpendi, limitari, reduci, modificari, aut eis in aliquo derogari poſſe, neque ſub quibuſuis illarum, aut ſimilium aut diſsimilium Indulgentiarum, & gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, alterationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus, in genere vel ſpecie per nos vel ſucceſſores noſtros, aut ſedem præfatos, ſeu quoſuis alios, & ex quibuſcunque etiam vrgẽtiſsimis & neceſſarijs etiam pro fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cruciata ſancta, vel expeditione contra infideles, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Principum, vel aliorum inſtantiam ſeu eorum contemplatione, vel etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac alias quomodolibet canonicè, vel de facto nunc & pro tempore impoſitis, & factis vllatenus vnquam compræhenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum & validiſsimum ſtatum reſtituas, & de nouo conceſſas fore, ac cenſeri decernimus, perpetuis futuris temporibus duraturis. Vt autem ipſi Confratres maiorem à nobis gratiam reportaſſe lætentur, Eiſdem Confeſſoribus, Confratribus iuramenta quælibet ſine alterius præiudicio relaxare, Et præ툤ereà eidem Confraternitati, illiuſque Confratribus, ac Eccleſijs, Capellis, & altaribus eiuſdem vbilibet conſtitutis, quod quocunque tempore cuiuſuis interdicti & ceſſationis à diuinis, videlicet dicto die feſto Circũciſionis à primis veſperis vſque ad occaſum Solis eiuſdem diei incluſine Veſperæ, Miſſæ, aliaque diuina officia in ipſius Confraternitatis Eccleſijs altaribus, ac Capellis ſolemniter, & publicè celebrari; qualibet verò prima die Dominica cuiuſlibet menſis priuati Confratres priuatam eorum miſſam ex eiuſdem Confraternitatis inſtituto celebrari ſolitam celebrari facere, illique intereſſe, ac inſuper ſemel in menſe Dominicum corpus ſuſcipere, Et quoties aliquem vel aliquos ex ipſis Confratribus quocunque tempore interdicti, ſeu ceſſationis à diuinis huiuſmodi mori cõtigerit, dummodo cauſam non dederit interdicto, eorum cadauera cum moderata pompa ſepeliri liberè & licitè valeant. Et interim interdicta & ceſſationes à diuinis huiuſmodi quæcunque

D ſint,

ſint, ad effectum præmiſſum omnino ſuſpendantur, & ſuſpenſa eſſe cenſeantur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus, ac præſentes litteras ſub quibuſuis reuocationibus, derogationibus, vel limitationibus ſimilium gratiarũ per nos, vel ſucceſſores noſtros in genere vel ſpecie ex quibuſuis etiam vrgentiſsimis cauſis, etiam ad Imperatoris, Regũ, & aliorum Principum inſtantiam pro tempore quomodolibet emanatis nullatenus compræhendi, ſed ſemper ab illis exceptas fore, & ita per quoſcunque Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi auctoritate & facultate iudicari & diffiniri debere, ac quicquid ſecus à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus, Nõ obſtãtibus quibuſuis apoſtolicis ac Prouincialibus & Synodalibus Concilijs editis generalibus vel Specialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac Cãcellariæ Apoſtolicæ regulis editis & edendis, necnon etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem ne Cõfratres ipſi, quod abſit, propter huiuſmodi gratiam reddantur procliuiores ad illicita cõmittenda, quod ſi à ſinceritate fidei, & vnitate S.R.E. ac obedientia & deuotione noſtris, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum Canonicè intrantium deſtiterint, aut confidentia eiuſdem gratiæ aliqua commiſerint, gratia & litteræ, quoad eligẽdum Confeſſorem huiuſmodi illis nullatenus ſuffragentur. Volumus autem, quod ſi aliqua alia Indulgentia fuerit per nos in aliquo loco eidem confraternitati conceſſa, præſentes, quoad locum huiuſmodi, nullæ ſint. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingẽteſimo ſexageſimo quarto Idib. Aprilis. Pontificatus noſtri anno quinto.

G. Taruiſinenſis.

DE

DE CONFRATERNITATIBVS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ IN SINGVLIS CIVITATIBVS, ET DIOECEſibus erigendis, & earum Indulgentijs.

Indulgentias iſtas ampliauit, & alias conceßit Grego. XIII. vt infra.

Pius Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

EX DEBITO PASTORALIS officij nobis meritis licet imparibus ex alto commiſsi, ad ea libenter intendimus, per quæ diuinus cultus, fideliumque deuotio vbique ſuſcipiat incremẽtum, ac ipſos fideles ad id Indulgentijs & remiſsionibus inuitamus, vt Chriſtifideles ipſi per temporalia quæ egerint, conſequi valeant præmia felicitatis æternæ. Nos igitur attendentes, quod infantes, & pueri bonis moribus & exercitijs educati, quaſi ſemper vitam pudicam, honeſtam & exemplarem, ac aliquando ſanctam agunt, è cõuerſo autem qui parentum carentia, ſeu paupertate aut incuria, vel ignauia, non ſic educati, perſæpe ducuntur in exitium, & quod peius eſt, ſecum ducunt plures in interitum, vnde ſi diligẽter educati, & in doctrina Chriſtiana inſtructi fuerint, à vitijs, & multis alijs erroribus retraherentur. Conſiderantes etiam, prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quod nonnulli approbatæ vitæ Chriſtifideles, charitate omnium ſuprema virtute, circa hoc tam pium, tamque Reipublicæ ſaluberrimum opus accerſiti, in ſingulis feſtiuitatibus, & Dominicis

diebus in diuerſis Eccleſijs, & locis hoc opus ſanctiſsimum amplexi ſunt, & ibi eoſdem infantes & pueros, ac alias miſerabiles perſonas Chriſtianæ veritatis ignaras congregari faciunt, & eos bonis moribus, & ſana doctrina inſtruunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo ſalutiferi fructus hactenus prouenerunt, & in dies magis, auxiliante Domino, prouenire ſperamus: Et quod ſi ad hoc opus ſanctiſsimum vbique locorum exercendum, præfatos Chriſtifideles paternis fauoribus & Indulgentiarum muneribus inuitaremus, proculdubio non ſolum eorumdem infantium & puerorum, ac perſonarum aliarum ſaluti conſuleretur, verum etiam deuotio Chriſtifidelium omniũ ad præfatum opus amplectendum multò magis augeretur: Cupientes igitur, tam pio tamque laudabili operi viribus totis fauere, & animas lucrifacere Creatori, ex certa noſtra ſcientia vniuerſos & ſingulos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque Eccleſiarum Prælatos, & locorum quorumcunque ordinarios, vbilibet conſtitutos præſentes & futuros rogamus, & hortamur attentè, eis ac eorum in ſpiritualibus & temporalibus vicarijs, ſeu Officialibus generalibus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus hoc opus ſanctiſsimũ toto pectore amplectẽtes, aliquas Eccleſias in ſuis Ciuitatibus, & diœceſibus reſpectiuè, ſeu loca honeſta, in quibus præfati infantes, & pueri ad audiendum doctrinam Chriſtianam conuenire poſsint, deputent; & viros ad id idoneos, vita, & moribus approbatos, qui diebus ſaltem Dominicis eoſdem infantes & pueros, ac alias perſonas diuinæ legis expertes, in articulis fidei, & præceptis ſanctæ Matris Eccleſiæ inſtruant, confirment, & eligant, atque tot ſocietates, ſeu confraternitates, quot ad hoc tam ſanctiſsimũ opus exercendum eis opportunæ videbuntur, inibi auctoritate noſtra erigant & inſtituant. Nos enim vt promptius, & alacrius ad hanc curam ſubeundam omnes Chriſtifideles alliciantur, & eò libentius curam ipſam ſuſcipiant, quo ex hoc dono cæleſtis gratiæ cõſpexerint ſe vberius refectos: De Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate cõfiſi, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus & cõfeſsis, ſeu ſtatutis à iure temporibus firmum confitendi propoſitum habentibus, qui in aliqua dictarũ Societatum, ſeu Cõfraternitatum vbilibet conſtitutarum intrauerint, & adſcripti fuerint, illis videlicet, tam qui alios docuerint, quàm qui ab alijs in articulis fidei, & præceptis Eccleſiæ huiuſmodi inſtructi

ſtructi

ſtructi fuerint, quotieſcunque in præfato ſanctiſsimo exercitio ſe occupauerint, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs auctoritate Apoſtolica tenore præſentium miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Cæterum quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides forſan facienda foret deferri, volumus, quod ipſarum tranſumptis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis in iudicio & extra, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ſexta Octobris, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Pontificatus noſtri anno ſexto.

Cæ. Glorierius.

AMPLIATIO INDVLGENTIARVM A PIO V. CONFRATERNITATIBVS DOCTRINAE CHRISTIANAE CONCESSARVM.

Gregorius Papa XIII. vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

ILLIVS, QVI PRO GREGIS Dominici ſaluatione, in ara Crucis immolari non abnuit, vices licet immeriti gerentes in terris omni ſtudio circa ſalubrem Reip. Chriſtianæ directionem & augmẽtum intendimus, & vt ad ea Chriſtifidelium vota facilius concurrãt, ipſos Chriſtifideles ſpiritualibus muneribus inuitamus. Cum itaque ſicuti nuper accepimus dudũ fe. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter per ſuas litteras, omnibus & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus tũc expreſsis, qui eſſent

deſcripti in Societatibus ſeu Confraternitatibus, ad pueros, & alios Chriſtifideles in bonis moribus & Doctrina Chriſtiana erudiendos, in quocunque loco deputatis, ſeu deputãdis, ac pueros, & Chriſtifideles rudes huiuſmodi in præmiſsis bene inſtruerent, & qui ab eis inſtruerentur, in eiſdem certis diebus & temporibus tunc expreſsis, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs Apoſtolica auctoritate relaxauerit, prout in dictis litteris, quas idem prædeceſſor perpetuò valere decreuit, plenius continetur. Nos tam pium, & nunquam ſatis laudandum opus amplioribus etiam gratijs, & ſpiritualibus muneribus proſequi volentes, dictos quadraginta dies ad centum dies, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, extendimus & ampliamus, ita quod perſonæ ſupradictæ, præmiſſa adimplendo, non ſolum dictos quadraginta dies, ſed centum dies Indulgentiæ, præfati rudes, & temporibus, vt præfertur, in totum conſequantur, & conſequi poſsint. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis manu alicuius publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius in dignitate Eccleſiaſtica cõſtituti munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris die xxj. Octobris 1572. Pontificatus noſtri anno primo.

Cæ. Glorierius.

IN-

INDVLGENTIAE PRO CONFRATRIBVS SOCIETATVM DOCTRINÆ CHRISTIANAE.

SANCTISSIMVS D. N. GREgorius Papa xiij. per litteras ſuas ſub dat. Tuſculi Anno Domini Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, vj. Kal. Iunij, Anno quinto. Conceſsit omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui in dictam Confraternitatem, Doctrinæ Chriſtianæ, ex nunc deinceps intrauerit, in eorum ingreſſu huiuſmodi, quotieſcunque peccata ſua confeſsi fuerint, & ſacram Communionem receperint, Decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs.

Item conceſsit dictis Confratribus vtriuſque ſexus, ſi confeſsi fuerint, & receperint ſacram Communionem, decem annos, & totidem quadragenas bis in anno.

Item conceſsit dictis Confratribus deſcriptis, & deſcribendis, centum annos Indulgentiæ, quotieſcunque in huiuſmodi ſancto exercitio ſe occupauerint.

Item dictis Confratribus quotieſcunque ſe in vnum congregauerint, & de rebus ad promotionem, & felicem ſucceſſum inſtitutionis puerorũ in Doctrina pertractauerint, centum dies de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentijs in Domino miſericorditer relaxauit,

Item dictis Confratribus, qui ſingulis annis ſemel iuxta determinationem, & prouidam ordinationem ſuorũ Superiorum verè pœnitentes, & confeſsi ſacram Communionem receperint, necnon eiſdem ſimiliter contritis, & pœnitentibus pro tempore decedẽtibus, in cuiuſlibet eorum mortis articulo plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſsionem miſericorditer in Domino conceſsit, & elargitus eſt. Dictis litteris perpetuis futuris temporibus duraturis.

Cæ. Glorierius.

CON-

CONTRA NON RECITANTES HORAS CANONICAS.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

EX PROXIMO LATERANEN. Concilio hæc ſalubris ſanctio emanauit, vt quicunque habent beneficium Eccleſiaſticum, cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex mēſes, quàm illud obtinuerit, diuinū officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus, pro rata omiſsionis officij, & temporis, ſuos non faciat; ſed eos tanquam iniuſtè perceptos, in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cuiuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expreſsius prouidere volentes, ſtatuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij, ſeu beneficiorū ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum eiuſdem diei amittat; tametſi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis Canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones forte aliter aſsignatas, ſola præſentia, iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat. Is etiam præter fructuum & diſtributionum amiſsionem; item ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſauerit, graue peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portio-

nes

 167

